Würtheim, J. J. G. (Julius Johan Gerardus)

DE EURIPIDIS BACCHIS

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

TH. H. MAC GILLAVRY

MED. ET CHIR. DOCT., IN FACULTATE MED. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

SUBMITTET

JULIUS JOHANNES GERARDUS VÜRTHEIM

ROTERODAMENSIS

DIE XXX MENSIS MARTII A. MDCCCXCVIII

HORA IV.

HARLEMI

TYPIS JOH. ENSCHEDÉ ET FIL.

DE EURIPIDIS BACCHIS

PARENTIBUS

DE EURIPIDIS BACCHIS.

I.

Poësie en atheïsme zijn twee woorden die slecht te zamen rijmen.

S. KARSTEN. Q. HORATIUS FLACCUS. 1861 pag. 43.

Si nostris diebus alter Erystheus Herculi alteri seriem laborum mandaret, nullus dubito quin inter eos inveniretur gravissimus et molestissimus hic: colligendi perlegendique omnia quae post renatas literas de Euripidis moribus, ingenio, operibus a viris doctis et indoctis in lucem emissa sunt. Superat enim fidem thesaurus ille chartaceus, cuius qui particulam tantum recensere velit, incidat in periculum ne tot aliorum opiniones perpendendo proprium iudicium e tragoediis ipsis petitum plane amittat, denique ut Terentianus ille multo indoctior abeat quam fuerit dudum. Quare hic pro certo valet Senecae sententia: „qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud sed errare est" (Ep. 45); nec facile quisquam infitias ibit, viam unice rectam esse eam qua auctor ipse lectores ducat.

Aliud quoque dictum stoici philosophi memoratu nunc est dignissimum, scriptum in omne tempus, quod utinam omnibus in re literaria operatis ante oculos obversaretur; volo aureum illud: „tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogeris in turba" (Ep. 107). Ii praesertim qui varias

virorum doctorum disputationes de Euripide sedula opera in disquisitionem vocarunt, quinimo obiter perlegerunt, observarint eandem rationem quae inter Codices MSS. haec quoque inter scripta exstare: sunt principes perpauci, ceteri sive unum sive duos vel tres auctores sequuntur, ita ut parvo labore stemma aliquod confici possit. Tanta opinionis praeiudicatae est vis ut etiam sine ratione valeat auctoritas; id habent ratum plerique, quod ab eo quem probant iudicatum vident, tantum non pro argumento afferentes Pythagoreorum illud αὐτὸς ἔφα. Dabo exemplum. Aristophanes ut vulgo notum est Euripidis „impietatem" notavit et alibi et in Thesm. (451) versu acerbo:

τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.

quae verba licet serio obiecta fuerint aequales Athenienses, callidi iudices, procul dubio iusto pretio aestimarunt. Nam quis tunc temporis nesciebat comicum nullum posse exstare, qui intra fines artis logicae se contineret, cuius audacia numquam extra veritatis regnum exspatiaretur, qui singula dicteria quasi in iudicio documentis probare quiret? Immo subridebant Dicaeopolim narrantem, quî bellum Peloponnesiacum excitatum esset, cachinnabant cum Socrates sublimis coelestia specularetur, nec non nefariam illam Euripidis impietatem benevolo nutu capitis exceperunt; magistratus vero sacerdotesque primis in subselliis sedentes nec sine sollicitudine exspectantes quae tela mox suum in caput torturus esset comicus, Euripidem, utpote in quem per maiorem temporis partem impetus fieret, sibi magis utilem quam rei publicae perniciosum iudicabant.

Non ita recentiores critici, qui severo vultu comicorum opera scrutantes ut inde historiae politicae vel literariae materiem haurirent, nil non iocose dictum comiceve

libros transtulerunt; quo factum

est ut versus laudatus *πάνυ σεμνῶς* inter testimonia tragici *ἀσεβείας* primarium locum obtineat, annotatione hac ornatus: „iam aequales bene perspexisse *ἄθεον* esse Euripidem.“ Significant autem haec verba poetam non tantum Olympicorum regnum evertisse sed *omnino* deis caruisse; nam adiectivum *ἄθεος* hòc modo, nil aliud cum antiquitus valuit, tum valet nunc. Hos vero criticos rogare velim num hodierni quoque homines, qui dogmata tradita minus probent, a materialismo tamen abhorrentes et persuasum sibi habentes esse principium divinum, licet verbis dici id nequeat, — num omnes igitur quibus Deus Optimus Maximus sit „categoria“, temere *ἄθεοι* sint vocandi. Quodsi ut exspecto negabunt, iterum rogo quare Euripides, cui vetus religio corruisset, omnesque dei theocrasia quadam confluxissent in unicum illud numen, quod nomine Iovis invocare soleret, contumelioso illo epitheto *τοῦ ἀθέου* dignus videatur. Pervulgatum est illud: „quid tibi fingis de Summo Numine? qualis imago animo occurrit? depinge sis quae opinaris“; quo rogatu homines frustra conantur verbis exponere res, quae minime verba patiuntur, delineare ideas, quae ut sunt positae extra et ultra artis logicae fines, nec mente capi nec humana lingua definiri possunt Eius modi vero conamen cum ad irritum cadat et responsa non minus interrogato quam interrogatori displiceant, caveamus ne praeiudicio occoecati inde efficiamus ideas in homine sic misere respondenti nullas vivere; immo vivunt vigentque, sunt autem umbris hac ex parte non absimiles quod progredientem effugiant, recedentem sequantur, nusquam et ubique reperiantur. Quare in Hecubae verbis Iovem compellantis (Troad. 884): „O tu qui terram fers terraque niteris, sic enim te appello Juppiter, cum difficilis sis cognitu, seu rectius vocaris naturae necessitas sive ratio communis hominum“, cernere mihi videor poetam frustra conantem Summum

Numen, quod *esse* corde et animo sentit, vocabulis humanis exprimere et adumbrare; diligenter autem explicare quae Euripidi ipsi quam maxime indefinita et confusa fuerint ne tentabo quidem. Sufficit statuere tragicum, si non habuerit Dei consummatam absolutamque ideam illam, quam tribuit ei Valckenaer, minime tamen Olympo everso castra posuisse Atheismi, quibus posteriora saecula defensores praebitura essent. [1]) Sed de his quaestionibus cum mox plura dicturus sim, nunc paucis verbis alia quaedam attingere mihi liceat, de quibus viri docti non recte iudicasse mihi videntur. Quorum primum est decantata illa discrepantia, quae vulgo inter Euripidis placita et aequalium religionem constituitur. Adversis enim frontibus sibi opponunt viri docti sententias tragici theologicas philosophicasque et religionem doctrinamque popularem tunc temporis vigentem; putant igitur Euripidem mirum quantum spatium discessisse ab aequalium suorum opinionibus, cum ceteris Atheniensibus adhuc eadem fere esset mens quae piorum Marathonomachorum fuisset; plane igitur obliviscuntur, nos, qui nunc vivimus, cogitationes aequalium ex ipso potissimum Euripide cognitas habere neque secum reputant literas semper et ubique cum eorum mentibus congruisse quorum gratia scriptae editaeque sunt. Non subito adultae et armatae, velut Minerva e capite Iovis, prosiliunt novae sententiae e scriptorum mentibus, sed gignuntur in populi animo, ubi lente crescunt, initio a nullo observatae, sensae deinde sed non expressae, donec maturescentibus temporibus existit aliquis subtiliore sensu praeditus linguaque valens, qui eloquitur id quod permulti iam senserant nemo dum certam in formam redigere potuerat. Hinc favor, hinc

---

[1]) Vide De Euripidis Bacchis E. W. Silber Berolini 1837, pag. 8.

gloria, quibus „nova" placita fruuntur; sumus nimirum pro ambitione nostra ad iis hominibus applaudendum statim parati, qui, ut vulgo dicitur, „nostras cogitationes tam pulchre interpretati sunt"; nec illepide Pliniana in epistola observatur hanc ob causam longiores patronorum orationes brevioribus praestare, quod inter tam multa variaque argumenta prolata haud dubie unum alterumve affertur a iudice ipso iam excogitatum, quo audito iudex hucusque morosus leni risu animoque benevolo annuit oratori.

Neque aliter fuisse apud Athenienses ratio evincit; non ita eminebat Euripides inter civium suorum turbam ut mons in planitie; non irrita tot Ionicorum et Siciliensium philosophorum verba populi per aures demissa fuerant, quodque pleraeque tragici fabulae ceciderunt, causa non in usu philosophiae quaerenda mihi videtur sed in abusu. Spectatores vero non ei erant homines quos olim delectaverat Hesiodea Theogonia a rhapsodis recitata, sed nova succreverat aetas a priscis illis viris mirum quantum diversa; nam celerrime quinto saeculo Athenis ideae sibi successerunt.

Dixerit hic aliquis: „o bone, nonne sentis diametrali fere oppositione discrepare opinionem tuam ab ipso rerum decursu? oblitusne es ab illo ipso populo, cui cum Euripide de rebus divinis convenisse tibi fingis, fugatum esse Anaxagoram, capitis vero damnatum Socratem, quorum alterum Euripides valde admiratus est (Ran. 1491) alterum fortasse habuit magistrum?" — Non nescio, sed rogo quid hae res probent. Num forte populum vetustorum placitorum reverentia imbutum sacroque ardore abreptum philosophorum impietatem ultimo supplicio dignam iudicasse? Sed ipse hoc non credis, nam veniunt tibi in mentem verissima Platonis verba (Apolog. XVI), ubi Socrates causam damnationis suae acu tangit exclamans:

„ἀλλὰ γὰρ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ὡς μὲν ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ κατὰ τὴν Μελήτου γραφήν, οὐ πολλῆς μοι δοκεῖ εἶναι ἀπολογίας· ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἔλεγον, ὅτι πολλή μοι ἀπέχθεια γέγονεν καὶ πρὸς πολλούς, εὖ ἴστε ὅτι ἀληθές ἐστιν καὶ τοῦτ' ἔστιν ὃ ἐμὲ αἱρήσει, οὐ Μέλητος οὐδὲ Ἄνυτος, ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος· ἃ δὴ πολλοὺς καὶ ἄλλους καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾕρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν". Verba aurea! Non laesae divinitatis sed offensae arrogantiae nudataeque ignorantiae Socrates poenas luit; verba vero dari sibi patiuntur qui multum hac in re tribuunt *religionis* illi voci speciosae et ad iras popelli ciendas impiis praesertim temporibus 'quam maxime efficaci. Ne quis igitur hic mihi loquatur de sacro ardore!

Neque aliam ob causam Anaxagoras solum vertere coactus est, quam quod Periclis adversarii non iniuria putabant magnum virum amicis sociisque privatum facilius succubiturum, sicut arbor sola in campo prius venti flabris evellitur quam quae in silva virgultis protegitur. Erat enim Anaxagoras teste Plutarcho (Vita Periclis XVI) τῆς πολιτείας σύμβουλος, quippe qui Periclem adulescentem φρονήματι δημαγωγίας ἐμβριθεστέρᾳ imbuisset (Plut. l.l. IV). Sed cavendum ne parum intelligar. Minime igitur contendo Euripidis aetate Athenienses res sacras flocci fecisse; colebantur etiam tum deorum simulacra publice et privatim, sed tunc ut postea multum valebat vis consuetudinis, quae accrescente dubitatione id quod fidei fixae et stabili deerat pedetemptim supplebat. Nec minus populus quam ipse Euripides iactabantur quasi navis in mari, cum gubernator utrum portum relictum repetat an pergat iter novam in terram valde dubitat. Philosophos placita nova evulgantes intactos sinebant Athenienses; Socrates securus per plateas ambulabat, cum Strepsiades domum eius scenicam demoliretur ipsumque coram populo impietatis accusaret; Anaxagoras tranquillus docebat in basilicis a nullo lacessitus

nisi a parvis pueris Νοῦν appellantibus. Ad summum nil non licebat, dum ne vafer orator, alia petens, subdola oratione perniciosos philosophos qui rem publicam subverterent increparet, levemque populum argillae ad instar fingeret uti vellet.

Sed quid tali orationi vacamus, cum ex historia ipsa quam celeriter Athenienses antiquas de rebus sacris opiniones immutarint, quam facile abolerint quae maiores conservare curae et cordi habuissent, demonstrari liceat. Nemo nescit qua fama Athenis olim floruerit iudicium illud Areopagi, cuius, ut ait Cicero (De Off. I 22), consilio leges, instituta maiorum servabantur, ubi dei ipsi ad ferendum suffragium prodire non infra se putabant, divina cuius natura elucet e verbis Aeschyli (Eum. 693):

ἐν δὲ τῷ σέβας
ἀστῶν φόβος τε συγγενής.

Quod sacrum institutum (Eum. 708)

αἰδοῖον ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορὸς φρούρημα γῆς [1])

„epithetis" sublatis ([Arist.] Rep. Ath. c.25) profanum fere ad iudicium reduxit democratiae dux Ephialtes. Non tulit venerabilis antiquae religionis propugnator Aeschylus, qui populum prae civitatis imperio nil religioni habentem monuit expressis verbis: „ne fontem limpidum coeno iniecto inficerent" (Eum. 697). Sed frustra Furiae πρώταρχον ἄτην iam civitati adhaerere cecinerunt (Agam. 1191); mulierculas quidem in theatro terribili suo aspectu perculerunt, cives vero a coeptis deterrere non valebant: iterumque

[1]) Inspice sis ludicram Wecklenii annotationem: „εὑδόντων ὕπερ ἐγρηγορός" scheint auf eine *polizeiliche* Befugnis des Areopags hinzuweisen, kraft welcher er für *nächtliche Sicherheit* zu sorgen hatte"!

sed nunc auctore Pericle Areopagi imminuta est potentia (ibid. c. 27).

Quibus omnibus bene perpensis Athenienses iam medio Saeculo V° multo magis quam vulgo creditur a piis illis religiosisque μαραθωνομάχοις discrepasse persuasum mihi habeo, necnon puto doctrinam Euripidis propius ab illa aequalium stetisse quam ut de iis quasi de rebus prorsus diversis — ne oppositas dicam — hic loqui liceat. De populo enim non minus quam de tragico valent, si me audias, verba K. O. Muelleri (Proleg. zu einer wissenschaftlichen Mythologie p. 90): „Bei Euripides ist ein gewisses Philosophieren, freilich ein ziemlich schwankendes und unentschiedenes, fast ganz an die Stelle der mythologischen Religion getreten." Si vero rogatur quid eos in religione tradita offenderit, respondendum puto taeduisse deorum humanam formam induentium, perpetrantium omnia quae in vita cottidiana vel pudicitia vel legibus prohibebantur, taeduisse fabellarum puerilium, quas sperni necesse erat ab hominibus ad purius cum diis commercium ascendentibus. Hinc poetae gladius semper in Olympicorum pectora destrictus, tragoediae dicteriis in τὴν μυθολογικὴν πολιτείαν repletae, quemadmodum comici sua tela in rem publicam contorquere solebant.

Nunc igitur videamus utrum philosophandi hocce studium Euripidis fabulis detrimento fuerit necne. — Ante omnia observo esse genus quoddam philosophiae Euripideo proximum, amantissimum dictorum sententiosorum, sermonumque de moribus hominum, de vitae conditione, de morte plenum, quod non hodiernis quidem in dramatibus at certe in operibus optimae notae XVI[i] saeculi iustum locum sibi vindicavit; scimus enim omnes quam saepe Shakespearius ille in fabulis philosophandi gratia exspatietur, actione retardata monologias, dialogos ab argumento alienos inserat, id modo agens ut melius de-

pingatur vita humana personarumque indoles plenius cognoscatur. Nec ingrati auditores tales versus accipiunt, quorum pars haud exigua memoriae fixa inhaeret et mox per ora hominum volitat in ϝέπεα πτερόεντα mutata.

Statuamus ergo necesse est philosophiam per se spectatam non semper in tragoediis damnandam esse; attamen offendit apud Euripidem, graviter offendit, cuius rei haec omnium causarum prima mihi videtur, quod tragicus minime ut personarum mores subtilius delinearet doctrina sua usus sit, sed ut eruditionem lucubrationibus partam cum auditoribus communicaret, ut doceret. Quae philosophemata, ut optime observavit Nauckius (Praef. Eur. Trag. XXX), quo facilius in spectatorum animos se insinuarent iis potissimum personis tributa videmus quas ultra vulgus sapere non est probabile. Unde Aristophanis reprehensio quod ἡ γυνὴ χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον ἔλεγεν χὠ δεσπότης.

Secunda si quid video est causa, quod Euripides nonnumquam philosophandi studio indulgens ita caeco ardore abreptus est, ut fundamentum fabulae ceteroquin magna laude dignae quibusdam versibus philosophicis adiectis radicitus subverteret. Quam rem luculenter demonstravit vir clarissimus Van Leeuwen (De Arist. Eur. censore p. 26). Nec minus gravis tertia causa videtur, quae praesertim hodiernis lectoribus taedium movet; nam ut in tragoediis franco-gallis XVII[i] saec[i] sic in Euripideis aegre ferimus philosophiam illam vulgarem, nusquam non ad disputandum paratam, quae animum non facit quia non habet, clamores plaususque captat, ab institore potius quam ab antistite divulgari videtur. Non est enim philosophia populare artificium nec ostentationi paratum (Seneca Ep. 16).

Quare non dubito profiteri me iudice Sophoclem, qui nullum fortasse philosophiae librum attigerit, philosophi nomine videri digniorem quam Euripidem, cuius opera

dictis sapientibus scatent. Quod qui persentire velit, evolvat modo et comparet exitus fabularum utriusque poetae: observabit Sophocleam tragoediam sic finiri ut herois misericordia etiam augeatur, ut spectatores terribili lusu afflicti, quem dei omnipotentes et inexorabiles hominibus cum occaecatis egerunt, ne verbo quidem e profunda tristitia ad res cottidianas revocentur; immo aulaeo sublato sedent quasi tonitru perculsi, propositum enim sibi habent aenigma quod solvere frustra conantur, quaerentes quid sibi velit vita terrestris ab altera parte caecis cupiditatibus, ab altera ferreae necessitati obnoxia. Et fortasse fuerunt qui tali tragoedia spectata pervenerint ad philosophiae principium et fontem, qui intellexerint vitam minime esse rem optabilem, mortem autem verum lucrum putandam (Cf. Oed. Col. 1211 sqq. O. T. 1187. Aiac. 125).

Aliter res se habet apud Euripidem, qui, licet constanter humanam sortem conquestus sit, fere nullam tragoediam finit quin tristis argumenti prorsus oblitus hilare aliquid e vita humana petitum adiungat. Sic spectatores post multas lacrimas, Orestae vel Electrae ob sortem fusas, gaudentes abeunt propter instantes Agamemnonis liberorum nuptias; sic in Andromaches fine Thetis cum Peleo redintegrat nuptias per quadraginta annos intermissas (Cf. V. Cl. Van Leeuwen p. 27 sq.), Peleus autem, gratus homo, Athenienses abituros monet „ne malam uxorem, licet permagnam dotem afferat, ducant.” Interdum ineptum oraculum in fine totam tragoediam corrumpit, ut in ultima parte Hecubae quasi ad cachinnos eliciendos anus decrepita describitur quae alata ascendit in antennas.

Quibus ineptiis refrigerati saepe fit ut cum fastidio tragoediam Euripideam e manibus ponamus, non de rebus humanis meditantes seriisque quaestionibus vacantes, sed

despicientes poetam qui philosophum prae se ferens nilque non sublime pollicitus, alios conatus sit movere, licet ipse nihil sentiret, quippe quem non miseratio humani generis duceret sed frigida fabellae materies.

Constat igitur philosophiam ab Euripide perperam adhibitam ipsius operibus detrimento fuisse. Sunt autem qui putent, Euripidem, cum esset deorum Atticorum contemtor, propterea ad tragicam poesin minus fuisse aptum. Quod etsi aliquatenus minime iniuria observatum censeo, tamen pedibus ire in eam sententiam recuso. Quid enim si Euripides modo tragoedias scripsisset, quarum cardo est Fatum (Schicksalstragödien), si Sophocleae „Oedipi Regis" ad instar, ubi primas partes agit ἡ ἀνάγκη, secundas ὀργὴ ἀνθρωπίνη. Apollo vero nil nisi fati interpres videtur, cetera numina Iove excepto uno vocabulo οἱ θεοί (vide O.T. 217, 275, 326, 396, 646, 647, 697, 1009, 1037, 1061, 1345, 1383, 1410, 1432) vel notione philosophica τὰ θεῖα appellantur? Nam et Euripides deorum ille contemtor semper et ubique fatum coluit, Iovis omnipotentiam agnovit, vocibùs θεός, τὰ τῶν θεῶν, τὰ θεῖα sexcenties non secus ac Sophocles usus est; quorum igitur ope, ceteris omnibus Olympicis prorsus sublatis, ad fastigium tragicae artis ascendere potuisset.

Cur non fecit? Defecerunt vires, respondebis. Esto, accedebat tamen alia quoque causa. Oraculum Apollinis, narrat Sophocles, Laium monuerat ne liberis gignendis operam daret, quodsi fecisset, fore ut ipsa filii manu interemtus supremum diem obiret. Nilominus Laius procreat Oedipum, ipse interficitur, series malorum domum regiam perdit. Miramur simplicitatem vetustorum Atheniensium, ne rogantium quidem quam ob rem oraculum misero regi talia praedixisset, quid tandem in deos Laius commisisset. Non intelligimus pietatem quae talia numina patienter ferret. At tulerunt prisci Attici. Quid autem

posteri? Evolve sis Aristophanis grammatici argumentum ad Phoenissas Euripidis, ubi legitur:

Λάιος ἀφικόμενός ποτε εἰς Ἦλιν καὶ τὸν τοῦ Πέλοπος υἱὸν Χρύσιππον ἰδὼν καὶ ἁλοὺς τούτου κατάκρας τῷ ἔρωτι, ἁρπάσας εἰς Θήβας ἤνεγκε καὶ συνῆν αὐτῷ τὰ ἐρωτικά. ὁ δὲ Πέλοψ μαθὼν τοῦτο κατηράσατο Λαΐῳ μηδέποτε μὲν παῖδα τεκεῖν, εἰ δ' ἄρα καὶ συμβαίη, ὑπ' αὐτοῦ τούτου ἀναιρεθήσεσθαι.

Luce clarius est hanc fabulam homini deberi qui nihilo aequius quam nos iniustum illud oraculum Delphicum ferret, qua de causa Oedipodis mythum ita supplevit ut spectatorum rationi mentique satisfaceret; probabant enim ultionem regis qui aliorum liberis non pepercisset, neque a cogitatione alieni erant: patrum maleficium in liberos quoque vindicatum iri.

Quod exemplum hanc ob causam attuli ut Euripidis de oraculis sententiam illustrarem quidque de fato sentiret exponerem. Non tamen contendo ipsum sic hunc mythum supplevisse, sed suspicor foetum hunc esse ingenii Euripideo subsimilis, persuasum autem mihi habeo tales homines *σοφωτέρους εἶναι* quam a quibus Oedipum Regem exspectare possimus. Vates enim

σέβεται τὸ θεῖον μὴ ἐξετάζων πᾶς ἔχει.

Cur igitur, rogaverit quispiam, Euripides tragoedias scripsit? cur reluctante ingenio antiquam materiem novam in formam redegit? Rogare perge, qui ita loqueris, cur poeta extiterit, cur cecinerit; respondebo ob eam causam quae aviculas ne in caveis quidem occlusas cantum omittere sinit. Ipsa natura eas stimulat et vel maximae miseriae, libertatis ademptae, aliquantisper oblivisci facit. Sic incitabat natura hunc poetam ad aerumnas humanas, ad irritas spes vanosque labores cantandos, ad hominum mores depingendos; quod conamen si non ab omni parte

ei cessit, multis tamen versibus pulcherrimis et vel una Medeae fabula de genere humano optime est meritus.

Materies autem, quam sibi ad tractandum proposuerat, ex regione opposita erat veteri comoediae; res vero divinae quaestionesque philosophicae nimis saeculum occupabant quam ut novum comoediae genus, quod meris in rebus terrestribus versaretur et e vita cottidiana argumenta peteret, nasci potuisset. Aderant quidem germina unde volventibus annis laeta illa Menandri ars effloruit; multa sane Euripidea fabula habebat novae comoediae affinia; sed tamen magnum inter utrumque poesis scenicae genus intercedebat discrimen, ut opere aliquo Euripidis cum Plautino comparato dilucide apparet. Nam praeter gravitatem tragoediae necessariam, comoediae vero minime aptam, habent fabulae Euripidis — non dico in argumento, non in oeconomia, ut Terentianae, sed in dialogis, in monologiis — uniforme quoddam; ad unum archetypum omnes expressas esse dicas, ita ut lectori paulo versatiori non ita difficile sit divinare quid in dialogo persona aliqua mox rogatura, quid altera responsura sit. Quae res, ut quivis intelligit, plane abhorret a comoedia, ubi variorum hominum varii motus ac gestus, variae cogitationes et cupiditates vivide depinguntur, ubi cor requiritur et sanguis. Comoedias Menandri ex Plauto et Terentio nobis cognitas Piersonius noster si bene memini acute comparavit cum imagunculis tanagraeis, quae vitam ipsam antiquorum fidelissime referunt; Euripidis vero dramata saepe in mentem revocant statuas illas artificiose elaboratas sed vita nervisque carentes, quas serum sculptorum genus ad exemplum celeberrimorum Graeciae operum pacta mercede conficiebat. Non erat Menander Euripides, non sinebat ingenium nec tempus; iacebant autem semina in agro ver exspectantia et Favonium.

Sequentes vero anni faverunt novae arti; nam simulac armorum sonus increpuit, homines hucusque rebus sublimibus dediti, meditationibus philosophicis vacantes, pulchra sua somnia in auras evanescere viderunt, quorum in locum successerunt rerum terrestrium curae, labores, materies. Nec modo rei publicae status, ipsae quoque Atheniensium mentes mutatae sunt, urgente bello Peloponnesiaco, quod Thucydides appellavit *κίνησιν μεγίστην ἡ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο*. Vitae tenore semel in materialismum verso, plerisque hominibus non amplius philosophiae sed glebae addictis — docebant enim abhinc in scholis philosophi, recesserant a foro — pedetemptim effloruit nova ars quae unica materiam spectabat: Menandrea comoedia. Qua de re cogitanti venit mihi in mentem non absimile aliquid initio huiusce saeculi evenisse: nam quo tempore in Gallia classicismus post longum imperium ad interitum vergebat, philosophica vero studia ad deismum Voltarii devenerant, multa iam in operibus scriptoris Rousseau erant indicia novae artis ex individualismo et christianismo proditurae. Nec quisquam facile infitias ibit, motum ingentem qui rem publicam funditus evertit, bella quae cum summam virium contentionem poscebant, tum acerrimis doloribus populum affligebant, utrumque elementum corroborasse; nam et homines *viros* fecerunt et fidem restituerunt. Quo factum est ut natalicia novae artis hisce duobus principiis innisae, romantismum dico, maturarentur. [1])

Sed revertamur ad propositum. Quoniam antiqua comoedia minime cum poetae ingenio congruebat, nova vero nondum e fasciis evolvi poterat, nil Euripidi restabat

---

[1]) Lanson p. 912: le romantisme est une litérature où domine le lyrisme; le lyrisme est l'expansion de l'individualisme.

praeter tragoediam. Quapropter non dubitavit indefesso labore novos mythos indagare vel tritos decantatosque immutare studiis suis philosophicis et poeticis obsecutus. Non semper autem benigne aequales et posteri de eo iudicaverunt; neque id immerito. Maxime fere dicam floruit vicesimo post mortem saeculo, cum Cornelii Raciniique vestigia eius sequebantur; nostro tempore post multos severos iudices patronum nactus est Wilamowitzium sagacem et eloquentem. Conatus sum et ego pro viribus meis exponere quid mihi in Euripide displiceat; sunt multa confiteor nec levia, ob quae culpandus videtur, attamen grato animo temporis recordor quo interiorem quandam cum eius tragoediis familiaritatem primum contraxi. Nam et urinator gaudet, qui in multitudine ostrearum quas iterum atque iterum mare in profundum demersus a rupibus avulsit, unam modo margaritam invenit.

II.

Nonnulla de Euripidis „impietate" supra in medium protuli; censeo autem et ego, quod apud omnes criticos sive severiores sive leniores nostri et antiqui temporis constat, tragicum deos olympicolas contempsisse. Ecce autem fabula Baccharum, opus magna pro parte dignum quod Goethio in deliciis fuerit, aperte virorum doctorum sententiae refragatur. Inducit enim deum Euripides qui in taurum se mutet, aedes incendat, mulieres bacchantes ceu hostes agricolis immittat omnia populantes, devastantes, rapientes. Videmus infandum spectaculum, matrem abscisum filii caput manibus gestantem, in scena tripudiantem. Horret theatrum, horrent lectores.

Expectas versus secuturos quibus poeta, ut alibi, talem cultum quantocius abiiciendum esse declaret. Οὐδεὶς λόγος, immo duo senes si qui alii venerabiles in scena cum choro certant qui maiore gloria Bacchum afficiant, cultum propagent, nomen eius cum sacris illis Cereris et Proserpinae coniungant. Euripides ipse, qui deos inhumanos odisse, deos in varias formas mutatos ridere solitus fuerat, genua ut quidem videtur flectit et sacrificat ad aram humano sanguine conspersam. Animis stupor offunditur, caligant interpretes. Videamus igitur quomodo v. d. hoc aenigma solvere conati sint.

Ad incitas redacti omnem lapidem moverunt, nil non tentarunt ut e difficultate se expedirent. Fuerunt qui putarent, poetam grandaevum cum opinionibus de natura deorum, quas totam per vitam impugnasset, in gratiam

rediisse, senem sibi non constitisse. Depingunt igitur lectoribus alterum Voltarium, in articulo mortis sacerdotis auxilium invocantem; Baccharum fabula nil nisi *palinodia* iis videtur.

Ex eo inde tempore, quo Tyrwhittius primus hanc de Bacchis opinionem evulgavit, nec pauci nec minores in re publica literarum magistratus in partes eius transierunt, donec hac aetate res iudicata, ab aliis iam recognita, decreto v. cl. Wilamowitzi rescissa est (Heracles I 379).

Lobeckius Aglaoph. 623 aperte declarat: „Superest fabula Bacchae dithyrambi quam tragoediae similior, totaque ita comparata ut contra illius temporis Rationalistas scripta videatur — qua et rerum divinarum disceptatio ab eruditorum iudiciis ad populi transfertur suffragia."

Musgravius Exercit. in Eur. 1762: „neque specie caret Tyrwhitti sententia poetam ea mente hanc fabulam edidisse, ut gravissimum illud impietatis crimen, quod cum Socrate et aliis eiusdem sodalitii hominibus commune habuit, a se amoveret."

St. Victor, Les deux masques p. 314: „dans les Bacchantes le sujet domine le poète: ce contempteur des fables retourne franchement à la foi païenne, il se rejette à corps perdu dans la religion populaire."

Schöne, Bakchen p. 20: die Ergebnisse reifern Nachdenkens hatten ihn aber im Alter dahin geführt, dass er in dem hergebrachten Glauben an die Volksgötter ein sittliches Moment erkannte."

Wecklein Bakchen p. 12: „man möchte meinen, der greise Dichter habe seinem früheren der gedankenlosen Hinnahme überlieferter Glaubenssätze abholden Streben untreu, die harmlose Annahme des Glaubens der Väter empfehlen wollen."

Bernhardius II pag. 422: „Doch empfahl er zuletzt Resignation und Hingebung an Gott als unerschütter-

lichen Grund der sittlichen Dinge, während er die Freidenker und den Unglauben der damaligen Wissenschaft bekämpft. Eine reife Summe dieser inneren Erfahrungen hat er am Schluss seiner Laufbahn in den Bacchae niedergelegt."

Schopenhauer II p. 150: ,,Die Bakchantinnen des Euripides sind ein empörendes Machwerk zu Gunsten der heidnischen Pfaffen."

Cf. etiam. K. O. Müller Hist. Graec.Lit. I 499.

Nägelsbach Nachhom. Trag. 466.

Paley vero Eur. II 393: ,,this play though rationalistic in its tendency is yet curiously interspersed with passages in praise of the old belief" ducit eorum agmen qui a Tyrwhitti sententia minime abhorrentes prudenter tamen reditum aliquem sibi reservant.

Sandys preface p. 81 on the Bacchae: „non exactly a formal palinode."

Liceat unam etiam sententiam afferre: in libro lectu dignissimo quem de Euripide philosopho scripsit vir doct[mus] J. Berlage p. 128, haec annotavit: „mihi vero illud iudicium non rectum videtur. Euripides non *toto* animo denuo amplexus est antiquam fidem; fortasse non minus, quam antea mythologicas reiiciebat fabulas, sed perspicere coeperat has dubitationes philosophicas neque sibi neque reliquis civibus profuisse." Teste igitur Berlagio Euripides *aliquatenus* ad pristinam fidem reversus Bacchis editis anteriora opera reprobavit. Sequuntur verba: „Ut non nemo nostra aetate defessus longa et inutili contentione tandem intellexit praestare religionem vel imperfectam et vitiosam habere quam nullam." Quibus perpensis nascitur mihi suspicio virum doctum, licet ipse neget, propius a Tyrwhitti partibus stetisse quam sibi confiteri vellet.

Sed iam transeamus ad ea exponenda quae, si quid video, palinodiae illi adversa fronte obstant.

Ac primum quidem te lector rogare velim, quales fuerint homines quos nostris vel antiquis temporibus doctrinas suas totam per vitam ardenter cultas et defensas ἐπὶ γήραος οὐδῷ deseruisse acceperis. Statim mihi respondebis fuisse vel eos qui nimium antea rationi mentique humanae confisi nil non arte logica solvi posse crederent, postea vero experientia docti intellexerint esse multa quae homines nec capere possint neque unquam capturi sint; vel fuisse egregios homines qui rem publicam sibi finxissent huic mortalium generi minime aptam, utpote quae normam communem excederet, unde labentibus annis aequalium ingeniis melius perspectis ad humiliora consilia reverterunt. Mihi autem concedes tale quid, quod sciamus, numquam factum esse a philosopho in iudicio de hominum conditione terrestri magis ad vilipendendum propenso quam ad celebrandum in maius.

Nam talis vir fuit Euripides; siquidem scriptoris opera morum ingeniique speculum putanda sunt. Aestimavit homines suo pretio vel etiam inferiore, coluit τὸν θεὸν ὃς συντελεῖ ἅπαντα πρὸς ἁρμονίαν τῶν ὅλων, οἰκονομῶν τὰ συμφέροντα (Schol.-Iliad. IV 4 p. 120 Bk.); quid igitur seni opus fuit sententiam mutare? An revera putabimus discipulum praeclarorum philosophorum, aequalem Socratis, extrema aetate in corona muliercularum fabellas decantantium latuisse, inter eos fuisse qui somno somniisque capti immoti permanserunt procella saeviente supra eorum capita? Immo equidem mea facere velim verba Wilamowitzi optime iudicantis (Herc. 379): „Es kann niemand den Euripides ärger verkennen als wenn er in den Bacchen eine bekehrung zum glauben der alten weiber sieht."

At verba do pro argumentis. Fors enim tulit ut Bacchas cum alia tragoedia eodem tempore in scenam producta necnon eadem aetate a poeta conscripta comparare possimus. Itaque si verum est id, quod nonnulli asse-

verant, Euripidem senem ad pristina de deis dogmata reversum, pia mente polytheismi mythologiae aures praebuisse, optimo iure talis religionis indicia non modo in Bacchis sed in omnibus fabulis eodem tempore conscriptis exspectamus. Sin vero nulla in his vestigia indagari queunt, sententiam meam quaestione instituta corroboratam esse omnes ni fallor aequi et boni iudices ingenue assentientur.

Legimus in schol. ad Ranas v. 67: αἱ διδασκαλίαι φέρουσι τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας.

Alcmaconis διὰ Κορίνθου perpauca fragmenta aetatem tulerunt, quorum ratio nunc habenda non videtur, nil enim e fragmentis tam exiguis de sententia ipsius poetae effici licet, quod unusquisque concedet qui modo reputet quam saepe versus alicuius significatio subsequenti immutetur, sive ironiam hucusque celatam indicando sive loquentis nomen tradendo. E. g. in fr. 256 Eur. (Dindorf) prima persona dicit:

πόλλ᾽ ὦ τέκνον σφάλλουσιν ἀνθρώπους θεοί.

Cui alter respondet:

τὸ ῥᾷστον εἶπας, αἰτιάσασθαι θεούς.

Ubi e secundo modo versu elucet mens scriptoris; quem tolle ac statim erunt qui clament: „En, deprende deorum contemtorem!"

Fragm. 21 Dind. finitur versibus:

ἃ δ᾽οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα
τοῖσιν πένησι χρώμενοι θηρώμεθα.

qui per se spectati divitum inhumanam avaritiam notare videntur. At antecedentis versus verba

ἃ μὴ γὰρ ἔστιν τῷ πένητι πλούσιος | δίδωσ᾽

elogium continent opulentorum hominum, qui larga manu de sua copia pauperibus impertiant. Quid non Euripidi imputaretur si hic versus intercidisset?

Sed sufficiant haec ad meam sententiam de fragmentis hac in disquisitione omittendis stabiliendam; properemus autem ad Iphigeniam Aulidensem, quae fabula, quamvis manca in fine passimque interpolata, amplam nobis materiam ad quaestionem dirimendam praebebit. Quod ad Euripidis dramatum chronologiam attinet, refero ad libros C. F. Mülleri: „De pedibus solutis in dialogorum senariis apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem." Berol. 1866.
Zirndorferi: „Chronologia fabularum Euripidearum."
Hartungii: „Euripides restitutus" p. 501.
Wilamowitzi: „Analecta Euripidea" pag. 131 sqq.
qui Iphigeniam eidem ac Bacchas Euripidis aetati deberi maxima cum probabilitatis specie contenderunt; nitar igitur in sequentibus eorum investigationibus, quae mihi nulli dubitationi obnoxiae esse videntur.

Primum igitur videamus sitne Iphigeniae Aulidensis argumentum ad pietatem erga deos commovendam satis idoneum, deinde Euripidesne materia illa ad fidem veteris Olympicolarum religionis restituendam usus sit vel uti voluerit. Nego autem cuiquam mortalium, qui quidem non plane sensu destitutus sit, his de quaestionibus dubitationem oriri posse; quod quo melius persentiatur, huic tragoediae aliam opponam eandem materiam tractantem, scriptam a pio poeta, atque ita ut unusquisque veram profundamque pietatem statim in ea animadvertat; dico Vondelii Iephtam. Nam ut omnibus e Testamento Vetere innotuit, easdem partes agunt Agamemnon et Iephta promisso Iovi vel Deo dato quamvis aegre stantes, easdem Iphigenia et Iphis ultro corpus intemeratum Numini offerentes, easdam Clytemnestra et Philopaie amoris materni iura vindicantes; utraque tragoedia peridonea quae pietatem sui suorumque immemorem concelebret ultimisque honoribus afficiat. Si vero duo faciunt idem non est idem; non is sum qui de utriusque dramatis maiore vel minore

pretio iudicare velim, utroque delectatus sum, id vero persentio pium ardorem effulgentem e Vondelii opere in Euripideo frustra quaeri; amabat enim Pater Poeseos Belgicae Deum suum, Euripides autem philosophus Dianam illam e mytho spernebat.

Cupisne degustare discrepantiam? audi sis Agamemnonem horrendum iussum explicantem defendentemque:

vs. 89. Κάλχας δ' ὁ μάντις ἀπορίᾳ κεχρημένοις
ἀνεῖλεν Ἰφιγένειαν, ἣν ἔσπειρ' ἐγώ,
Ἀρτέμιδι θῦσαι τῇ τόδ' οἰκούσῃ πέδον.
κλύων δ' ἐγὼ ταῦτ' ὀρθίῳ κηρύγματι
Ταλθύβιον εἶπον πάντ' ἀφιέναι στρατόν,
ὡς οὔποτ' ἂν τλὰς θυγατέρα κτανεῖν ἐμήν.

Quid sequitur?

σὺ δή μ' ἀδελφὸς πάντα προσφέρων λόγον
ἔπεισε τλῆναι δεινά.

Videsne, cedit princeps precibus et argumentis Menelai: auctoritas amorque fraternus non pietas adversus Dianam dubitationi regis finem facit. Pauló autem post res aliter se habet: Menelaus misericordia commotus fratri sacrificium dissuadet:

vs. 497. εἰ δέ τι κόρης τῆς θεσφάτων μέτεστί σοι,
μὴ ἐμοὶ μετέστω· σοὶ νέμω τοὐμὸν μέρος.

Hoc igitur agi putat spectator, sitne oraculorum auctoritas tanta ut iis iubentibus virgo videatur mactanda; suspicatur fore ut illorum vis divina tantum apud Agamemnonem valeat ut res ad tristem finem perducatur. Non ita. Respondet quidem primum:

vs. 511. ἥκομεν γὰρ εἰς ἀναγκαίας τύχας,
θυγατρὸς αἱματηρὸν ἐκπρᾶξαι φόνον.

sed interrogante Menelao, qui et ipse vaticinia non magni facere videtur,

πῶς, τίς δ' ἀναγκάσει σε τήν γε σὴν κτανεῖν;

stupentes ex regis ore accipimus:

ἅπας Ἀχαιῶν σύλλογος στρατεύματος.

Novum igitur argumentum! timor militum, qui nisi Iphigenia immoletur ipsum regem cum cognatis se interfecturos minantur, quin imo patriam devastabunt, miscebunt quadrata rotundis (vs. 528. 1265). Sunt minae minime spernendae, confiteor, aptae ad timidiorem hominem percellendum; miramur autem eas apud heroem qualis est Agamemnon praevalere. In eo vero ut filiam interficiat omnium harum oblitus tertio quodam argumento utitur ut se purget, Graeciae liberatorem agens exclamat populo plaudente:

vs. 1273. ἐλευθέραν γὰρ δεῖ νιν (sc. Graeciam) ὅσον ἐν σοὶ τέκνον κἀμοὶ γενέσθαι e. q. s.

Videsne? nescit miser homo quo se vertat, nulla non arripit argumenta, illo quod iterum atque iterum exspectamus excepto: constantem atque firmam voluntatem deis oboediendi, Dianae observantiam, pietatem erga deos olympios ne commemorat quidem. Quam dissimilis eius est Iephta ille, qui post sacerdotis verba minime obscura (Act. III):

Haer leven hangt aen uwen wil, gij meugt haer spaeren,
(Godts priester) ontslaet u, laet ze leven.

se etiam tum Deo obligatum significat pio responso:

Een drift van Godt inwendigh steeckt het zegel
aen 't werk, waerin men zijn genegentheên
versterft, en breeckt, ten prijs van Godt alleen. —

Nec minus Iphigeniae et Iphidis verba inter se comparata lucide demonstrant uter poeta plus tribuat cultui deorum et firmius persuasum sibi habeat summum bonum in eo esse positum. Virgini e vita discedere certum est; roganti qua causa permota sit, dicit matri:

vs. 1385. πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, οὐχὶ σοὶ μόνῃ·
ἀλλὰ μυρίοι μὲν ἄνδρες ἀσπίσιν πεφραγμένοι
δρᾶν τι τολμήσουσιν ἐχθροὺς χὐπὲρ Ἑλλάδος θανεῖν,
ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ μί' οὖσα πάντα κωλύσει τάδε;

Pulcherrimae laudes patriae amoris! at de Diana ne verbum quidem.

Plurane vis? Vs. 1397 exclamat virgo:

δίδωμι σῶμα τοὐμὸν Ἑλλάδι.

Quid vero respondet chorus? quid?

τὸ μὲν σόν, ὦ νεᾶνι, γενναίως ἔχει,
τὸ τῆς τύχης δὲ καὶ τὸ τῆς θεοῦ νοσεῖ.

Ita! τὸ τῆς θεοῦ νοσεῖ tota in fabula, nec clarius poeta intimam suam sententiam exprimere poterat. Cui dicto oppone splendidissimos versus (Act. IV), ubi Iphis:

geen hijgend hart vervolght en afgeronnen
verlangde oit meer naer koele waterbronnen,
als mijne ziel na zooveel strijts verlangt
en hijght naer Godt waeraen mijn leven hangt.

Quibus auditis quis non cum sacerdote facit respondente:

O schoone ziel, hoe deelt ge in 's hemels schatten
alree zoo diep, die door 't geloof kunt vatten
dat weinigen begrijpen, hier beneên.

Haec unicuique sufficient, nisi egregie fallor, nec post

hanc comparationem quemquam latere potest, opinor, perexiguam Euripidem in Iphigenia Aulidensi ostendere deorum Olympicorum reverentiam. Sed ut melius etiam sentiamus quanto discrimine poeta distet a pietate illa, quae e corde non e mente originem habet, perpendamus locos, ubi sors humana perpetuis vicissitudinibus obnoxia depingitur, e. g. vs. 160:

θνητῶν δ' ὄλβιος εἰς τέλος οὐδεὶς e. q. s.

Quae licet verissima sit observatio, non tamen quadrat in placita eorum qui deorum voluntatem summam legem agnoscunt, libenterque iugum sibi imponi patiuntur. Neque quemquam fugere potest Agamemnonem se a deo deceptum dicere (vs. 444. ὑπῆλθε δαίμων e. q. s.), passimque dicteriis acutis peti augures (vs. 520, 956, etc.), quibus et pii poetae saepius usi sunt, sed ita ut augurum deorumque gloria inde accresceret, convicium vero in obtrectatoris caput recideret. Denique in fabulae exitu nuncius virginis sacrificium describens refert totum exercitum, cunctos heroes, ambos Atridas stetisse oculis in terram defixis (vs. 1577), spectaculum praebentes scelus perpetrantium. Hic quoque frustra quaerimus sacri ardoris vestigium, indicium fanaticae illius pietatis, quae Te Deum cantans carissima quaeque Summo Numini immolet. Non mirum igitur Lucretium (I, 85) ex Iphigenia Aulidensi petiisse quae contra religionem afferret, ut saepius pietas simulata et adulterina sacrarum rerum detractoribus tela praebuit utilissima. Verissimum autem est id quod Schillerus ad versionem germanicam annotavit: „Seine personen glauben nur nicht an ihre götter: der glauben fehlt dem dichter.''

Iam revertamur unde profecti sumus. Constat Iphigeniam Aulid. simul cum Bacchis sub fin. Ol. 93, in scenam productam magnum ob numerum pedum solutorum ultimo

Euripidis vitae tempori deberi; nil obstat quin duas tragoedias eadem fere aetate conscriptas putemus. Ac si forte Iphigenia prior fuerit et in poetae schedis aliquantisper delituerit, verisimile est auctorem opus suum interdum retractantem resecuisse quae minus placerent, addidisse nova; grandaevi igitur poetae animum vel sic ex ea cognosci posse. Quibus perpensis quis credat Euripidem eodem temporis articulo in altera fabula piam erga Olympicos mentem fuisse testatum, in altera sibi nullam cum iis esse rem luce clarius ostendisse. Qua re palinodia illa Euripidea abeat in vanorum somniorum regionem.

III.

Primus quantum scio qui Tyrwhitti sententiam impugnavit, Hartungius fuit, qui spisso libro Euripidem iusto pretio aestimare et contra criticos nunquam non poetam parvi facientes vindicare conatus est. Neque laudabile conamen ad irritum cecidit, multa recte observavit, atque ita literis mandavit ut vividus Euripidis amor inde eluceat. Scripsit v. d. Eur. Rest. II 542: „Mirati sunt quidam quod a Bacchi partibus Euripides, doctus, sapiens, severusque senex stetisset: nec defuerunt, qui eum crederent mutata sententia, cum iam mortem sibi vicinam esse intelligeret, colere ac celebrare deos, quos antea contempsisset, decrevisse ac defendere vulgi opiniones, confirmare superstitiones, quas quondam iuvenis impugnasset: At hi si magis quid carmina Euripidis docerent scrutari quam quid ipsi opinarentur effutire voluissent, eandem sententiam iuvenem atque senem profiteri intellexissent. Similis enim causa Hippolyti atque Penthei est, similis Bacchi atque Veneris ultio, eandemque fere sententiam in illa fabula satelles senior in hac Tiresias vates defendunt."

Pergit auctor: „utrumque denique carmen docet esse popularibus diis honores solemnes rite persolvendos

τιμαῖσιν ὦ παῖ δαιμόνων χρῆσθαι χρεών.

neque Venerem et Bacchum voluptatum dulcissimarum auctores et remediorum moeroris praebitores spernendos."

Quam sententiam secutus est v. d. Tyrrell (Bacchae pref. XVI): „the Hippolytus as well as the Bacchae

teaches, that we should not neglect these sources of joy, enthusiasm and passion."

Contradixit autem Sandys pref. LXXIX: „We fail to see anything more than a superficial likeness between the two plays as regards their general subject."

Necnon v. d. Wecklein Bacchae Einl. 12: „Es ist ein grosser Unterschied zwischen diesem Stücke und dem Hippolytus, wo gleichfalls eine Gottheit an dem Verächter ihres Cultus Rache nimmt."

Neque ego ab Hartungii partibus stare queo.

Adumbrat Hippolyti fabula sententiam, quam Graeci sibi de vita bene comparata informarant. Haec optima vita videtur quae neque e viribus insitis ullam negligit spernitve, neque ulla ex parte iustum modum excedit; ante omnia petenda est ut mentis sic corporis ἁρμονία. Respuit abominaturque Hippolytus almae Veneris cultum, non observat τὴν δημοσίαν Ἀφροδίτην, deam genetricem, per quam omne genus animantium concipitur; peccat igitur contra antiquam vitae rationem ab omni qualicumque ascesi abhorrentem; poenas poscit laesa natura, ita ut iuvenis moriens ipso suo interitu non minus spectatorum communi sensui quam irae Veneris satisfaciat. Fuit autem Euripides homo nimis excultus, nobilioris ingenii quam qui herois castitatem quamvis pro aetate austeriorem traderet vulgi ludibrio popellique pedibus conculcari pateretur, quare εὐθανασίᾳ quadam severae vitae finis imponitur, lugent iuvenem mortuum Theseus pater et chorus Troezeniarum, eius obitum κοινὸν ἄχος πᾶσι πολίταις vocantes. Quo fit ut spectator non magis Ἀφροδίτης potentia percussus quam commotus Hippolyti misera sorte e theatro abeat. Rectissime igitur Hartungius fabulae argumentum his verbis indicavit: „amorem voluptatem dulcissimam minime esse spernendum." Sed quis obsecro tam hebes tam ineptus tam ieiunus est ut putet Euripidem pulchra

Baccharum fabula spectatoribus commendasse vini usum, quo vitam exhilararent, spem mentibus anxiis reducerent, curas abigerent? Reverane aliquis credere potest Dionysum, qui hic in scenam procedit, nil esse nisi τὸν οἴνου δωτῆρα, deum Horatianum a Romanis e coelo detractum ut cum coronis atque puellis coelibum poetarum vitam laetificaret.

Immo quicunque non plane mente destitutus hanc tragoediam perlegit, facile sentit poetam hoc opus elaborantem toto coelo a vini laudibus afuisse, rebus sublimibus intentum fortasse de dono Bacchi ne cogitasse quidem; itaque hanc interpretandi rationem relegabit in tempora quibus philologi credebant vetustas fabulas de Bacchi in Graeciam adventu servare memoriam vitis ex Asia in Europam importatae. Quid igitur illud est quod poeta in fabula Baccharum celebravit? Non dulcis profecto Chii Samiive sapor sed maius quid! Est principium illud divinum cui Graecia imperium omnium artium quam maxime debebat; est vis quam contemnere non poterat nisi qui barbarus manere vellet, cuius omnipotentiam et frigidi Romani denique senserunt, licet numquam plane intellexerint; est ὁ ἐνθουσιασμός. Tantum igitur discrepant inter se Hippolyti et Baccharum tragoediae quantum terrestria a coelestibus distant, quantum cupiditates voluptatesque ab impetu ingenii vi divina afflati. Nam Phaedrae incestus ille amor minime egreditur communem veterum opinionem hoc de affectu passim prolatam, Euripidisque opus dum perlegimus menti perpetuo obversatur fabula epica de Bellerophonte. Cui rei accedit quod in Bacchis adversarii Dionysi exstinguuntur, deus ipse victor e certamine evadit, ita ut nulla dubitatio esse possit utris partibus auctor victoriam tribuere voluerit, in Hippolyto vero dea Venus — non dico „amorem" — ita laudatur ut quantuli eius divinitatem faciat poeta lectorem fugere haudquaquam possit.

Qua de re cum fusius indicarit vir doctissimus Kuiper capite quarto libri sui „Wijsbegeerte en godsdienst in het drama van Euripides" pauci loci ad sententiam meam corroborandam sufficient. Iam inde a prologo Venus taedium movet cynicis verbis quibus se Hippolyti negligentiam vel cum Phaedrae detrimento vindicaturam fore significat:

vs. 47. ἡ (Φαίδρα) δ' εὐκλεὴς μέν, ἀλλ' ὅμως ἀπόλλυται.
τὸ γὰρ τῆσδ' οὐ προτιμήσω κακόν,
τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ
δίκην τοσαύτην ὥστ' ἐμοὶ καλῶς ἔχειν. κ. τ. λ..

Vides quanto spatio haec tragici poetae dea, immo νευρόσπαστος haec icuncula, cuius membra crassis filis a poeta moventur, distet a numinibus qualia Sophocles producit, quae saepe quidem invident, nonnunquam alium cruciant ut alium pessumdent, sed semper digna sunt neque unquam huiuscemodi impudentiam prae se ferunt.

Non semper autem cum in terra morari possit alma dea, administra utitur anu decrepita, μαστροπῷ quadam, qualem e primo Herondae mimiambo novimus; qua adspecta quivis probe novit — si forte nondum satis intellexerit — quae sit ea Veneris dignitas et de quonam amoris genere fiat sermo. Neque haec anicula quid cum Venere sibi sit commune nos celat, sed consilium suum nefarium perfectura πάνυ σεμνῶς exclamat:

vs. 522. μόνον σύ μοι δέσποινα ποντία Κύπρι
συνεργὸς εἴης.

Digna profecto ministra cui dea opituletur et συνεργόν se adiungat! Itaque mirum non est chorum honestarum puellarum hancce Venerem abominatum per aliud numen iurare cum Phaedrae supplicanti ne facta dictave sua Theseo aperiantur respondet:

vs. 714. ὄμνυμι σεμνὴν Ἄρτεμιν Διὸς κόρην
μηδὲν κακῶν σῶν εἰς φάος δείξειν ποτέ,

ubi ultimae esset inhumanitatis castae Dianae coram misera regina facere mentionem, nisi Euripides eam impudenti Veneri opponere voluisset.

Mox moritur Phaedra apparetque Diana, ut et ipsa ludicro exemplo Olympicorum statum et condicionen hominibus demonstret. Rogantibus nimirum cur Hippolyto fidelissimo cultori opem non tulerit, dat ieiunum responsum:

vs. 1329. θεοῖσι δ' ὧδ' ἔχει νόμος·
οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ
τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί.

Venerem in scena convicio lacessit, πανοῦργον vocat, iraque iniustissima perculsa ab innocenti quodam homine poenas se sumpturam fore profitetur (vs. 1420 sqq.), quibus auditis non est cur miremur Hippolytum deorum natura perspecta animamque efflantem exclamare: „Utinam mortalium generi olympios execrari liceret'' (vs. 1415). Nec nos valde errare credo si statuamus esse ipsum poetam qui hanc imprecationem deos in scenicos fabulae modo gratia a se productos magno cum contemtu intorqueat. Non Veneris deae olympiae cultum, ut supra dixi, spectatoribus hac fabula Euripides commendare studuit, sed vim amoris, quam saevientem in corpore humano pulcherrime depinxit. Gaudeo equidem idem me invenisse in Kuiperi libro, ubi ad choricum (vs. 525)

Ἔρως Ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
ἱεὶς πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχαῖς χάριν οὓς ἐπιστρατεύσῃ

observatur: „negatieve beteekenis ten aanzien van des dichters eigen godsdienstige voorstellingen, heeft voorzeker 't feit, dat in eene tragedie, die Aphrodites kracht

bezingt, in een van de voornaamste liederen niet deze godin zelve, maar Eros in de eerste plaats wordt gehuldigd. Zoozeer is voor den dichter de persoonlijkheid van Aphrodite in 't algemeenere denkbeeld Eros vervloeid" (pag. 179).

IV.

πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι
Theogn. 128.

Opiniones, de quibus hucusque egimus, quamquam inter philologos recentioris aetatis invenerunt defensores, prioris generis acumini originem debent; nunc vero tractanda mihi est coniectura, quae hisce annis denuo est proposita, fortiter autem est defensa ab eo qui post multos Euripidis censorem egit, Henrico Weilio, a nullo autem quod sciam plane refutata. Est quaestionis solutio satis speciosa, in quam ipse quoque antea incideram, donec omnibus argumentis iterum perpensis prorsus eam abieci. Quae ut cognoscatur ipsa Weilii verba (Etudes sur le drame antique p. 110) eo libentius afferam, quod semper maxima cum voluptate inspicio libros venustissimos a Franco-gallis lepide et scite de antiquis literis conscriptos. Possident enim hi viri prae ceteris omnibus nationibus difficillimam libri scribendi artem.

Legimus l.l.: „On a vu depuis longtemps que les Bacchantes furent composées pour le théâtre d'Aegis capitale d'Archélaüs de Macédoine. L'éloge du pays, de ses beaux fleuves, de ses montagnes sacrées de la piété de ses habitants, ne laisse pas de doute à ce sujet. On sait du reste, ce qu'attestent les vers du poète, combien les bacchanales étaient en honneur dans la Macédoine; l'histoire nous apprend qu'Olympias la mère du grand Alexandre, était passionnément adonnée à ce culte orgiastique. Dans

un pareil milieu le poète était astreint à plus de retenue que dans la démocratique Athènes. Il était obligé de dissimuler avec plus de soin ses discrètes objections et de protester ostensiblement de sa dévotion au dieu redoutable qu'il mettait sur la scène."

Euripides igitur, Weilio auctore, hanc tragoediam aulae macedonicae composuit; opinionum illic vigentium ratione habita, quae ipse de Olympiis existimabat dissimulavit, ut ritibus quibus Bacchus in Alexandri patria honorabatur plane se adaptaret. Ex ipsis autem poetae verbis apparet Bacchas scenae peregrinae conscriptas fuisse.

Iam protulerant hanc opinionem:

Bernhardy Gr. Liter. gesch. II p. 385: „Am Hofe des Archelaus widerfuhren ihm Ehren jeder Art, dort entstand mehr als eine Dichtung von lokalem Interesse, wie Archelaus und Bakchen, die vielleicht für die dortige Bühne bestimmt war."

Bergk Liter. gesch. p. 481: „Ebenso ist die letzte tetralogie in Makedoniën gedichtet, wie besonders die Bakchen deutlich zeigen (565 ff.) und vielleicht auch schon dort unter persönlicher leitung des Dichters aufgeführt worden."

G. H. Meyer De Euripidis Bacchabus, Gottingae 1833 Thesis I[a]: „Bacchae in Pieria Macedonica datae sunt."

Idem defenderunt:

E. Bruhn Einl. z. d. Bakchen p. 15: „Und so gedenkt der Dichter in unserem Stück freundlich des Landes das ihn aufgenommen hatte. Gerade in Makedoniën aber lag dieser Stoff dem Euripides nahe. Denn hier hatte sich der Kult des Dionysus in seiner alten stürmischen Wildheit erhalten. Hier also durfte wenn irgendwo, der Dichter erwarten, die Empfindungen eines Bakchenchors nachgefühlt und verstanden zu sehen."

V. d. Duruy Revue des deux mondes 1886 1° Oct.

„Crescit indulgens sibi dirus hydrops." Bergkio *tota tetralogia* ab *ipso* poeta in Macedonia docta esse videtur; restat sententia viri gravissimi Mahaffi, qui Eur. p. 85 prudenter et perspicue anglico more: „Among the half-educated Macedonian youth with whom literature was coming into fashion, the poet may have met with a good deal of that insolent second-hand scepticism which is so offensive to a deep and serious thinker, and he may have wished to shew them that he was not, as they doubtless hailed him, the apostle of this random speculative arrogance."

Audio, nec est, confiteor, illepida haec metamorphosis! Nam, qui antea apud cunctos fere philologos dux rationalismi, atheismi propugnator audiebat, eum tandem in deorum praedicatorem esse conversum non sine admiratione accipimus; Macedones vero, quibus antehac inter pios Bacchi cultores primarius locus tribuebatur, nunc intelligimus literis atticis atque praecipue Euripideis fabulis lectis ita fuisse corruptos ut pio quodam homine opus esset qui in rectam viam eos reduceret. Quo officio ipse Euripides haud immemor prisci vaticinii ipsius Telepho dati „Sanabit qui vulneravit" austero vultu, voce sacerdotali functus est ad maiorem Olympiorum gloriam.

Utinam id quod Mahaffius tandem aliquando perspexit Aristophanem olim non latuisset: quanto magis festivam haberemus Ranarum fabulam!

Iam revertendum est ad germen unde haec omnia procreverunt, sententiam dico a Weilio defensam, quae per se spectata remotis aliorum additamentis habet quod placeat multisque fortasse philologis persuadeat. Operae igitur pretium duco varias quaestiones ex quibus opinio illa pendet accuratius tractare; imprimis quae de Euripidis apud Archelaum commoratione traduntur pro viribus meis denuo explorare conabor et examini submittere,

necnon quae vulgo de orgiis Bacchicis apud Macedones et Athenienses feruntur cum veterum descriptionibus et imaginibus — quantum quidem licet — sedulo componere. A proposito autem digressus si deverticula inire lectori videar, mox in viam me reversurum fore polliceor.

V.

Coelum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Legimus in I[a] Vita Euripidis vs. 21:

μετέστη δὲ ἐν Μαγνησίᾳ καὶ προξενίᾳ ἐτιμήθη καὶ ἀτελείᾳ· ἐκεῖθεν δὲ εἰς Μακεδονίαν περὶ Ἀρχέλαον γενόμενος διέτριψε καὶ χαριζόμενος αὐτῷ δρᾶμα ὁμωνύμως ἔγραψε καὶ μάλα εὖ ἔπραττε παρ' αὐτῷ ὅτε καὶ ἐπὶ τῶν διοικήσεων ἐγένετο.

Confirmant iter Plutarchus, Suidas, Syncellus, Solinus, Lucianus, Diomedes, quorum testimonia collecta sunt apud Nauckium praef. Bacch. XX. Quo vero tempore poeta profectus sit minime certis argumentis constat. Scribit Nauckius praef. XXI Ann. 27: „Olymp. 92. 1. quo anno Aristophanes Thesmophoriazusas edidit Euripidem etiam tum Athenis fuisse liquet". Et recte scribit profecto. Nam totius fabulae vis comica tunc demum emicat si tragicum inter spectatores sedentem fingimus, quam maxime vero deminuitur si haec omnia in absentem poetam dicta putemus. Firmius autem continent, si quid video, testimonium vs. 1160 sqq.:

γυναῖκες, εἰ βούλεσθε τὸν λοιπὸν χρόνον
σπονδὰς ποιήσασθαι πρὸς ἐμὲ νυνὶ πάρα,

quod ineptissimum fuisset, si Euripides iam tunc peregre vixisset. Sed quid tam incertis indiciis immoramur, cum exstet documentum maioris momenti; annon e scholio ad Eur. Orestis vs. 361 asseveranti hanc fabulam poetam

ipsum anno 408 Athenis scenae commisisse, cognitus est terminus post quem Euripides in Macedoniam est profectus? Ridicula autem annotatio in prima Vita vs. 99 τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ (αἱ γυναῖκες) βουλόμεναι ἀνελεῖν. ἐφείσαντο δ᾽ αὐτοῦ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν. ἐν γοῦν τῇ Μελανίππῃ (δεσμώτιδι) περὶ αὐτῶν τάδε φησί κ. τ. λ. cum scholio ad Or. 361 comparata plane cum eo congruere videtur. Nam licet hanc narrationem e Thesmophoriazusis fabula profluxisse nemo non videat, intellegimus Melanippen intra annos 411 et 408 fuisse doctam.

Quod si verum est atque post 408 demum tragicus Athenas reliquit, quasi somnium evanescit narratio vulgata, solum eum vertisse quod comicorum iocos indigne ferret; demens nimirum nobis videretur qui ob iniurias anno 411 illatas triennio demum post urbem relinqueret, cum praesertim per spatium viginti annorum comicorum sagittis in se coniectis assuefactus esset. Itaque verba Philodemi (de Vitiis X p. 20) διὸ καὶ φασὶν ἀχθόμενον αὐτὸν ἐπὶ τῷ σχεδὸν πάντας ἐπιχαίρειν πρὸς Ἀρχέλαον ἀπελθεῖν, quae vel verbum φασὶν (*on-dit*) suspecta reddit, ad garrulitatis patriam relegentur.

Sed quae alia causa permovere eum potuit? Patriae profecto erat amantissimus si quis alius, testibus versibus a Plutarcho de Exil. 436 E. allatis (fr. Dind. 362 et 971. Vide etiam Lycurgum c. Leocr. p. 161,23.):

ᾗ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν,
αὐτόχθονες δ᾽ ἔφυμεν· αἱ δ᾽ ἄλλαι πόλεις
πεσσῶν ὁμοίως διαφορηθεῖσαι βολαῖς
ἄλλαι παρ᾽ ἄλλων εἰσὶν ἐξαγώγιμοι.
εἰ δ᾽ οὖν πάρεργον χρή τι κομπάσαι, γύναι,
οὐρανὸν ὑπὲρ γῆς ἔχομεν εὖ κεκραμένον,
ἵν᾽ οὔτ᾽ ἄγαν πῦρ οὔτε χεῖμα συμπιτνεῖ.
ἃ δ᾽ Ἑλλὰς Ἀσία τ᾽ ἐκτρέφει κάλλιστα, γῆν
δέλεαρ ἔχοντες τήνδε συνθηρεύομεν.

ad quae annotavit Plutarchus: *τίς γὰρ εἴρηκε τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος ἐγκώμιον τοιοῦτον οἷον Εὐριπίδης;* necnon teste pulcherrima exclamatione (fr. 361 vs. 53):

ὦ πατρίς, εἴθε πάντες οἳ ναίουσί σε
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ· καὶ ῥᾳδίως
οἰκοῖμεν ἄν σε κοὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Sententiam suam de exilio elocutus erat Phoenissarum versibus (388 sq.):

Ioc.: *τί τὸ στέρεσθαι πατρίδος, ἦ κακὸν μέγα;*
Pol.: *μέγιστον· ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον ἢ λόγῳ κ. τ. λ.*

e quibus cuivis apparebit talem hominem non levem ob causam solum sibi adamatum reliquisse.

Suspiceris fortasse clade denuo in scena accepta iratum Euripidem ex Attica profectum. Specie non caret suspicio, quae tamen statim evanescit, nam in Orestis, ultimae tragoediae, hypothesi verba leguntur: *τὸ δρᾶμα ἦν τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων.* Si vero etiam dubitas, inspice quaeso Orestis finem, ubi poeta:

ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη, τὸν ἐμὸν
βίοτον κατέχοις καὶ
μὴ λήγοις στεφανοῦσα.

Tibine haec verba afflicti hominis deque rebus futuris plane desperantis videntur? Non credo, praesertim si hisce perlectis evolvis ultimos Herculis versus, ubi ipsius Euripidis tristitiam produnt nota illa:

στείχομεν οἰκτροὶ καὶ πολύκλαυτοι
τὰ μέγιστα φίλων ὀλέσαντες. (Vide Wilam. ad loc.)

Restat ut sumamus rerum publicarum calamitate perculsum patria eum cessisse; et Sandys certe ad incitas redactus huc confugit, annotans in editione sua pag. XXXIII: „he was weary perhaps of domestic discomfort,

and the shadows of impopularity were possibly already gathering round his friend Socrates, while Alcibiades, in honour of whose Olympic victory he had composed a song of triumph, was now a condemned exile."

Itanevero! tam aegre tulit Alcibiadis exilium ut taeduerit Athenarum? Agedum propius amicitiam Alcibiadis, quam vir doctus crepat, spectemus, testesque idoneos interrogemus.

Plutarcho auctore (Alc. Vita XI) Euripides hymnum in Alcibiadis honorem composuit, cuius initium:

σὲ δ' ἀείσομαι ὦ Κλεινίου παῖ. καλὸν ἁ νίκα· κάλλιστον δ', ὃ μηδεὶς ἄλλος Ἑλλάνων, ἅρματι πρῶτα δραμεῖν, καὶ δεύτερα καὶ τρίτα. βῆναι δ' ἀπονητὶ κ. τ. λ.

Sed quo tempore composuit? Ni fallor verba Thucydidis VI. 16, ubi Alcibiades semetipsum civibus commendans inter alia affert: *ἅρματα ἑπτὰ καθῆκα ὅσα οὐδείς πω ἰδιώτης πρότερον, ἐνίκησα δὲ καὶ δεύτερος καὶ τέταρτος* (sic! cf Isocr. XVI. 34) *ἐγενόμην.* victoriam ab Euripide celebratam. spectant. Nec miramur poetam illius Alcibiadis facta in coelum extulisse, qui nondum ullum scelus in patriam commisisset; res fere dicam ipsa clamat Euripidem anno 416 Cliniae filio amico esse usum, nam stabant ambo dicis causa a populi partibus probabantque imperium populare. Quid autem haec omnia ad annum 408? An forte credamus virum ambitiosum etiam tum poetae vero patriae amore flagranti ab amicis fuisse, cum a Spartanis ut Gylippum in Siciliam mitterent, ut Deceleam occuparent, ut cum Persis inirent foedus, impetrasset? Negas et recte credo negas. Exstat vero certius documentum; nam cum Ranarum in fabula Aeschylus et Euripides a Baccho rogati suas de Alcibiade sententias exponunt, quid Euripides profert? Quid?

μισῶ πολίτην, ὅστις ὠφελεῖν πάτραν

βραδὺς πέφυκε, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς,
καὶ πόριμον αὑτῷ, τῇ πόλει δ᾽ ἀμήχανον.

Quae verba quamquam ab Aristophane excogitata in scena proferri nisi ab Alcibiadis inimico non poterant. Nullum igitur amicitiae vinculum anno 408 exstabat, nedum poeta Alcibiadis vicem dolens patriam reliquerit. Quin immo hoc ipso anno, quo E[s] vulgo abiisse creditur, Alcibiades Athenas rediit (Xen. Hell. I. 4. 12. Holm. p. 570), honoribus oblatis optime functus est, modeste moderateque vixit, perfecit ut post intervallum sex annorum sacra mystarum pompa terrestri itinere Eleusinem mitti posset, denique certissima spe victoriae elatus cum classe centum navium in Samum insulam profectus est. Erecti mihi tunc temporis videntur esse animi Atheniensium, sicut saepius aegrotantium mens paulo ante obitum mira quadam vi excitatur, vita plena reverti videtur, moriturus reconvalescere se credit. Quis tunc bonus civis desperans de patriae salute ex Attica cessit? Scio brevi postea Cyri et Lysandri viribus coniunctis Athenas esse debellatas, scio iam anno 407 classem apud Notium magnam cladem accepisse, Alcibiadem in novum annum praetorem non fuisse creatum, sed tunc certe Euripides iam urbem reliquerat.

Superest una exilii causa, quam, licet auctoritate viri de antiquis literis optime meriti nitatur, non nisi dubitanter profero. Legimus enim in oratione de Archelao Macedoniae rege viri clarissimi Herwerdeni (Verslagen Kon. Acad. Ser. III[ae] p. I[a] pag. 306): „Nullus dubito quin fuerint splendidae Archelai conditiones quae filium λαχανοπωλητρίας infimo loco natum ut extrema aetate aulicus fieret permoverint."

Sunt verba acriora quam quae aequo animo de poeta amato feramus; ipsam tamen sententiam refellere nullo modo possum.

Utut id est, constat Archelaum, antiquum Petrum Magnum, aureos montes fuisse pollicitum ut ad regnum constituendum et ornandum illustres adiutores sibi adiungeret; cuius rei luculenta quaedam exempla praebent Athenaeus VIII. 345 E et Aelianus Var. Hist. XIV. 17. Et multa polliceri debebat rex, cui melior Atheniensium pars minime favebat. Erat filius nothus Perdiccae secundi, e Simicha ancilla natus; imperio ut potiretur tres agnatos e medio sustulerat, Alcetam Perdiccae fratrem, filium Alcetae, Perdiccae filiolum (Diod. Sic. XIV. 37. Plat. Gorg. 471. Grote History of Greece X p. 46). Vir doctus I. M. v. Gent in libro de Archelao (Lugd. Bat. 1834) de eo dixit p. 81: „Si eius mores spectas unusquisque eum vituperabit, eundem tamen multis iisque regalibus virtutibus ornatum fuisse nemo infitiabitur. Archelai regnum Macedoniae quam maxime salutare fuisse videtur; quam regionem potentia quidem non tam auxit, sed cui tamen sua in rebus civilibus prudentia multis nominibus profuit; id magis agens ut regnum firmaret, excoleret, et ornaret quam continuis bellis exhauriret." Quae sententia maiore pro parte nititur Thuc. II. 100:

Ἀρχέλαος ὁ Περδίκκου υἱὸς βασιλεὺς γενόμενος τὰ νῦν ὄντα ἐν τῇ χώρᾳ ᾠκοδόμησε καὶ ὁδοὺς εὐθείας ἔτεμε καὶ τἆλλα διεκόσμησε τὰ κατὰ τὸν πόλεμον ἵπποις καὶ ὅπλοις καὶ τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ κρείσσονι ἢ ξύμπαντες οἱ ἄλλοι βασιλῆς ὀκτὼ οἱ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι.

Nec mirum videtur exercitui eum operam dedisse, siquidem recte observavit Cicero in Pis. 16: „Macedonia tantis barbarorum gentibus attingitur ut semper Macedonibus imperatoribus eidem fines fuerint qui gladiorum atque telorum." Disciplinam in regno suo instituisse Archelaum effici potest e versu Archelai tragoediae ab Euripide regis in honorem scriptae:

ἔπαυσ᾽ ὁδουροὺς λυμεῶνας,

quibuscum optime comparari potest Xenophontis de Cyro

Minore dictum Anab. I. 9: *πολλάκις δ᾽ ἦν ἰδεῖν παρὰ τὰς στειβομένας ὁδοὺς καὶ ποδῶν καὶ χειρῶν καὶ ὀφθαλμῶν στερομένους ἀνθρώπους, ὥστ᾽ ἐν τῇ Κύρου ἀρχῇ ἐγένετο καὶ Ἕλληνι καὶ βαρβάρῳ μηδὲν ἀδικοῦντι ἀδεῶς πορεύεσθαι, ὅποι τις ἤθελεν ἔχοντι ὅ, τι προχωροίη.*

Etiam de agricultura eum praecepta dedisse ex Plin. N.H. XVIII 3 patet.

Sed haec omnia quantumvis utilia parum valebant ad bonam apud Athenienses famam ei parandam barbarive nominis infamiam tollendam. Socrates certe teste Aeliano XIV. 17 de eo dixit:

δι᾽ αὐτὸν δὲ Ἀρχέλαον μηδένα εἰς Μακεδόνας στέλλεσθαι, ἐὰν μή τινα ἀναπείσῃ χρήμασι καὶ δελεάσῃ· ὑφ᾽ ὧν οὐκ ἂν αἱρεθῆναι τὸν σπουδαῖον.

Quo dicto, si genuinum, Euripidis quoque iter acerbe vituperatur. Idem Socrates Archelao *μεταπεμπομένῳ αὐτὸν ὡς ποιήσοντι πλούσιον* responderi iussit: *Ἀθήνησι τέτταρές εἰσι χοίνικες τῶν ἀλφίτων ὀβολοῦ ὤνιοι καὶ κρῆναι ὕδατος ῥέουσιν. εἰ γάρ τοι μὴ ἱκανὰ τὰ ὄντα ἐμοί, ἀλλ᾽ ἐγὼ τούτοις ἱκανός.* (Stob. 97. p. 422 Gaisf.)

Necnon Aristoteles idem memoriae tradidit Rhet. II. 23. § 8.

Σωκράτης οὐκ ἔφη βαδίζειν ὡς Ἀρχέλαον· ὕβριν γὰρ ἔφη εἶναι τὸ μὴ δύνασθαι ἀμύνασθαι ὁμοίως εὖ παθόντα ὥσπερ καὶ κακῶς.

Puto unumquemque sentire contemtum quem philosophus ironicis hisce verbis expressit, taedium quod ei movebat rex ille barbarus, qui aula in agresti nefando sanguine conspersa disciplinam doctrinamque Athenarum imitari vellet. Profecto non absimilis est haec sententia a Diogenis dicto apud Galenum (Protrept. ad artes) commemorato, qui convivatus apud quemdam, qui omnia sua ad unguem facta habebat, se vero solum negligebat, ut sputum emissurus conscreavit, deinde circum omnia

oculis perlustrans, conspuit patrem familias; cui indignanti causamque roganti respondit: „nihil tota domo se vidisse tam neglectum abiectumque quam ipsum. Solere autem homines oris excrementa in loca omnium abiectissima proiicere".

Clarius etiam Atheniensium de Archelao sententiam indicat locus in Platonis Gorgia 470 D — 471 D, quem utpote commemoratu dignissimum totum afferam. Audimus Polum et Socratem disputantes, quorum prior:

ἀλλὰ μήν, ὦ Σώκρατες, οὐδέν γέ σε δεῖ παλαιοῖς πράγμασιν ἐλέγχειν· τὰ γὰρ ἐχθὲς καὶ πρώην γεγονότα ταῦτα ἱκανά σε ἐλέγξαι ἐστὶ καὶ ἀποδεῖξαι ὡς πολλοὶ ἀδικοῦντες ἄνθρωποι εὐδαίμονές εἰσιν.

Σ. *τὰ ποῖα ταῦτα;*

Π. *Ἀρχέλαον δήπου τοῦτον τὸν Περδίκκου ὁρᾷς ἄρχοντα Μακεδονίας.*

Mox pergit Socrates:

τὸν μὲν γὰρ καλὸν κἀγαθὸν ἄνδρα καὶ γυναῖκα εὐδαίμονά φημι, τὸν δὲ ἄδικον καὶ πονηρὸν ἄθλιον.

Π. *ἄθλιος ἄρα οὗτός ἐστιν ὁ Ἀρχέλαος κατὰ τὸν σὸν λόγον;*

Σ. *εἴπερ γε ὦ φίλε ἄδικος.*

Π. *ἀλλὰ μὲν δὴ πῶς οὐκ ἄδικος; ᾧ γε προσῆκε μὲν τῆς ἀρχῆς οὐδὲν ἣν νῦν ἔχει. — ὅς γε πρῶτον μὲν τὸν δεσπότην καὶ θεῖον μεταπεμψάμενος αὐτόν τε καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπέσφαξε ὀλίγον ὕστερον τὸν ἀδελφὸν τὸν γνήσιον παῖδα ὡς ἑπταετῆ εἰς φρέαρ (ἐνέβαλεν). τοιγάρτοι νῦν ἅτε μέγιστα ἠδικηκὼς τῶν ἐν Μακεδονίᾳ ἀθλιώτατός ἐστι πάντων Μακεδόνων, ἀλλ' οὐκ εὐδαιμονέστατος, καὶ ἴσως ἔστιν ὅστις Ἀθηναίων ἀπὸ σοῦ ἀρξάμενος δέξαιτ' ἂν ἄλλος ὁστισοῦν Μακεδόνων γενέσθαι μᾶλλον ἢ Ἀρχέλαος.*

Quid haec verba imprimisque ultima hac in re valeant quivis videt, nec iniuria Bruhn observavit (Einl. Bacchae): „Plato hat es im Gorgias mit schneidender Schärfe ausgesprochen, von welcher Höhe der schlichte Athener auf

den stolzen König herabsehen muszte." — Sufficit igitur haec dialogi pars ad refellendum id quod apud Athenaeum (XI. 506 E) traditum est, fuisse quandam necessitatem inter Platonem et Archelaum. Immo ut Socrates sic Plato barbarum regem despicatui habebat, quam sententiam Athenienses omnes, qui quidem probitatem divitiis anteponerent, probabant. Quod si quis teste usus Andocide (Περὶ ἑαυτοῦ καθόδου), qui narrat se ab Archelao impetrasse ut e Macedonia auxiliares pro classe Atheniensium conducere sibi liceret, vel Diodoro Sic. XIII. 49, qui docet Macedones socios Atheniensium fuisse regemque ad Pydnam expugnandam navibus eos adiuvisse, mihi obiiciat concordes fuisse ea aetate civitates, obliviscitur aliam saepe esse sententiam τῶν ἐν τέλει, plerumque τὸ χρησιμὸν τῷ δικαίῳ antehabentium, aliam τῶν καλῶν κἀγαθῶν, qui e iusto bonoque tam facta quam homines aestimant. Quod pulcherrime illustratur malignis verbis, quibus Aristophanes (Acharn. 155) Thraces publice Athenarum partibus adiunctos perstrinxit.

Euripidesne igitur in Macedoniam abiturus optimi cuiusque sententiam de hoc proposito contempsit nihilique duxit? Ita, nisi causa aliqua nos lateat; nam quae tradita accepimus eo nos ducunt atque cogunt ut sic statuamus. Commotusne est auri sacra fame? Doleo sed negare non possum. At perlege quibus versibus immanem Polymestorem depinxit! Scio; scriptores vero omnium aetatum numquam et nusquam iniquam legem in se ipsos sanxerunt, qua ipsis secundum praecepta in libris laudata vivendum esset.

Talia vero de nostro poeta si cui nimis acerbe dicta videantur, aequitatem meam probare conabor, defendendo eum a graviore crimine, quod qui verba Platonis (Gorg. 471 C) cum Archelai fabulae fragmentis compararit, facile ei imputabit. Refertur in Vita:

ἐκεῖθεν δ' εἰς Μακεδονίαν περὶ Ἀρχέλαον γενόμενος διέτριψε καὶ χαριζόμενος αὐτῷ δρᾶμα ὁμωνύμως ἔγραψεν.

Contendit v. cl. Herwerdenus (l. l. pag. 324) fabulam Archelaum in scenam fuisse productam *ante* Perdiccae filioli caedem, hoc praesertim argumento nisus, etiam in tragoedia tale scelus perpetrari, ibi quoque aemulum regiae dignitatis e medio tolli, poetae autem in mentem venire non potuisse tyranno horrendum scelus versibus suis exprobrare. Audio, sed videamus Platonis verba: *τὸν Περδίκκου υἱὸν εἰς φρέαρ ἐμβαλὼν (ὁ Ἀρχέλαος) ἀποπνίξας πρὸς τὴν μητέρα αὐτοῦ Κλεοπάτραν χῆνα ἔφη διώκοντα ἐμπεσεῖν καὶ ἀποθανεῖν.* Hyginus autem narrat Fab. 219 illum Archelaum de quo tragoediam scripsit Euripides aemulum Cisseum in foveam coniectum obtruncasse (ad quam caedem spectare videtur fr. 266 Dind.). Faciamus nunc Euripidem talia in scena repraesentasse postquam eius fautor fraterculum interfecit, fieri non potuit quin omnibus spectatoribus regique ipsi, ut in Hamleto tragoedia, ad verum scelus alludere videretur. Quod vix credibile. At si cum Herwerdeno concludimus caedem fabulam esse secutam, suspicio nascitur, poetam regi viam monstrasse qua adversarium — ultimum impedimentum — submovere posset, vel potius Euripidem fuisse conscium horrendi consilii, quod barbarus rex iam tunc mente volvebat. Nam narratio illa de *fovea* neque apud Herodotum (VIII. 137), neque apud Diodorum Sic. (Exc. Vat.), neque apud Pausaniam (IX 4, 4) invenitur, sed novum additamentum ipsius Euripidis videtur. (Cf. Herwerdenum l. l. 317: „het geheele verhaal van 't onrecht hem door Kisseus aangedaan en de wijze waarop hij zich wreekt vindt men bij niemand anders dan bij Euripides”).

Credimusne igitur poetam sacra auri fame usque adeo corruptum fuisse ut scelus nefarium aliquatenus praepararit; pedibusne in Herwerdeni sententiam ibimus anno-

tantis (l.l. 341): „lazen we dat drama heden nog in zijn geheel, we waren misschien beter in staat te oordeelen of ik recht heb met een vermoeden, dat onwillekeurig, maar met *onweerstaanbare* kracht zich aan mij opdringt, dat koning Archelaos zelf aan de keuze en de *behandeling* van dit onderwerp door den grooten dichter niet geheel vreemd is geweest.'' Putabimusne Euripidem operam dedisse ut futurum regis scelus apud populum defenderet quasi rem cum pro pace imperii, tum pro Archelai securitate quam maxime necessariam? Equidem talia credere etiamsi possem, minime vellem. Nam optime scio ne a magnis quidem hominibus humani quidquam esse alienum et vel maximis ingeniis communis luti aliquid adhaerere; quem vero Melpomene semel nascentem placido lumine viderit, illum non critici labor vilem sicariorum adiutorem ostendet. Abutuntur haud dubie verbis Solini Polyh. c. 9: „hic Archelaus in tantum literarum mire amator fuit ut Euripidi tragico consiliorum summam concrederet'' qui ad illud Archelai scelus hunc scriptorem alludere opinantur.

„At tu,'' optimo iure nunc me interrogaverit quispiam, „quamnam opinionem tibi hac de re informasti, quandoquidem neque ante neque post caedem illam Archelaum fabulam datam esse perhibes? Credisne tertium quid dari?'' Credo, immo persuasissimum habeo. Nam si quid video, nunc quoque ut sexcenties alias, episodium e scena in historiam est translatum. Negone igitur fraterculum ab Archelao interfectum? Minime, sed suspicor Athenienses, quibus „Archelaus'' tragoedia innotuisset, ubi Cisseus in foveam deiiceretur, morte Perdiccae filii audita, confudisse regem aequalem cum mythico illo Archelao atque inde natam esse fabellam: ὅτι ὁ Περδίκκου υἱὸς εἰς Φρέαρ ἐνεβλήθη κ. τ. λ. Quam narrationem hanc ob causam fide historica minime dignam censeo. Quid autem sic lucramur? Non pauca; nam si verum vidi, poetae in historia

literaria vel sic satis male habito haec certe macula detestabilis minime aspergetur, qua videbitur tyranni consilii fuisse conscius; quod vero rex puerulum interfecit, id nihilo magis quam caedem Alcetae eiusque filii Euripidi imputandum censeo. At rei testis adest non obscurus scholiorum nescio quis scriptor sed ipse Plato! Est; quid tamen obstat quominus philosophum cum plus quam octo annis post dialogum Gorgiam scriberet (vid. Stallbaum praef. ad Gorg. p. 25) fabellam vulgatam bona fide in opus inseruisse sumamus? Conferant modo qui haec parum verisimilia ducunt cum narratione illa de navi infernali, qua Nero matri insidias parasse dicitur; maxima enim cum specie H. Dacbert (Sénèque et la mort d'Agrippine; vid. etiam v. cl. Hartmannum Theol. Tijdschr. 1884) contendit spectaculum scenicum serio a Tacito inter res revera gestas receptum fuisse. [1])

Sed revertamur ad aulam Archelai, ubi v. d. van Gent (l.l. p. 92), Euripidem praeter Archelaum docuisse tragoediam Τήμενον (cf. Hesych. i. v. ἄπυργος, ἀνχνόμην, αἰσίως, καταβολή et Polluc. IX c. 4); secundum alios Bacchas quoque ibi scenae commisit. Quin etiam sunt qui putent regem Archelaum certamina scenica ad exemplum Atheniensium suum in regnumi ntroduxisse, e. g.:

Herwerdenus l. l. p. 301: „'t feit dat door Archelaus agonen (gymnische en scenische) zijn ingesteld staat vast".

Necnon quidam credunt Euripidem eum ad finem scripsisse Bacchas ut iis ludos illos inauguraret, e. c.:

Schöne Bakchen p. 20: „da nun Euripides sich in den letzten zwei bis drei Jahren seines Lebens in Makedoniën beim König Archelaus aufhielt und dieser zuerst scenische Spiele in seinem Lande einführte, so hat man

---

[1]) Eodem modo narrationem de Messalinae morte fuisse exornatam perhibet v. cl. Naberus Mnemos 1892 p. 410 sqq.

vermutet, dass der Dichter dies Stück erst in Makedoniën abgefasst und zur Eröffnungsfeier jener Spiele bestimmt habe."

Colligere nunc et Ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον recensere incipiam quae de certaminibus illis scenicis in Macedonia habitis afferuntur varia argumenta, dein apparebit fortasse nimis ingenio indulsisse, qui de ἀγῶσι σκηνικοῖς publice ab Archelao institutis certoque intervallo instauratis cogitarint. Nam et hic λογισμὸς ὄκνον φέρει.

Narrat Diodorus Sic. XVII 16: „Alexander cum Thebis expugnatis in Macedoniam reversus copiarum duces quid de expeditione in Asiam censerent rogaret, Antipater et Parmenio melius esse si prius liberis gignendis operam daret, responderunt. Rex vero huic sententiae refragatus de belli commodis eos docuit, animisque ad pugnam excitatis θυσίας μεγαλοπρεπεῖς τοῖς θεοῖς συνετέλεσεν ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας καὶ σκηνικοὺς ἀγῶνας Διὶ καὶ Μούσαις, οὓς Ἀρχέλαος ὁ προβασιλεύσας πρῶτος κατέδειξεν." I. e. Alexander *deis* sacrificavit ἐν Δίῳ et certamina scenica in Iovis Musarumque honorem ad exemplum Archelai ludorum habita sunt. Ubi? Non docet Diodorus, credimus igitur haec quoque in Δίῳ oppido edita.

Inspiciamus nunc Arrianum I 11 § 1: „Alexander Thebis expugnatis ἐπανῆλθεν εἰς Μακεδονίαν καὶ τῷ Διὶ τῷ Ὀλυμπίῳ τὴν θυσίαν τὴν ἀπ' Ἀρχελάου ἔτι καθεστῶσαν ἔθυσε καὶ τὸν ἀγῶνα ἐν Αἰγαῖς διέθηκε τὰ Ὀλύμπια. οἱ δὲ καὶ ταῖς Μούσαις λέγουσιν ὅτι ἀγῶνα ἐποίησεν.

Mentionem facit auctor certi cuiusdam sacrificii ab Archelao Iovis Olympii gratia instituti, certi certaminis (ἀγῶνος) ab eodem principe in eiusdem dei honorem consecrati, Aegis acti, nominati τὰ Ὀλύμπια, dubitat autem an Alexander etiam ludos in honorem Musarum instituerit. — Statim videmus Arrianum accuratius rem tractare quam Diodorus perfunctorie modo attigit; secernit certamina Διὶ τῷ

Ὀλυμπίᾳ acta ab iis quae Musis sacra erant; altera solemni sacrificio ab Archelao inaugurata certisque praeceptis fuisse ordinata docet, de alteris — Musicis — nihil eiusmodi perhibet. Quid autem inter τὰ Ὀλύμπια et τὰ Μουσικὰ interfuisse credimus discrimen? Quid aliud quam quod est inter certamina scenica et gymnica? Quae discrepantia bonum Diodorum scriptorem de arte critica minime sollicitum plane fugit, minime vero ignota fuit Arriano auctori fide dignissimo, utpote qui fontes (Ptolemaeum et Aristobulum) κριτικῶς adhibeat, in re dubia ἐπιλεξάμενος τὰ πιστότερα φαινόμενα καὶ ἀξιαφηγητότερα (Arr. Anab. prooem.). Quare omnino sequendum puto Anabaseos auctorem; quod si facimus, hoc modo constat: a rege Archelao in honorem Iovis Olympii institutum esse sacrificium publicum et certamen gymnicum. — Necnon eodem ducunt verba Chrysost. Or. II, 18 C ἐν Δίῳ τῆς Πιερίας ἔθυον (Philippus et Alexander post pugnam Chaeronensem) ταῖς Μούσαις καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Ὀλυμπίων ἐτίθεσαν, ὅν φασιν ἀρχαῖον εἶναι παρ' αὐτοῖς.

Musica vero certamina quotiescumque cum Olympiis coniuncta fuerunt expressis verbis scriptores id tradunt: Demosth. Παραπρεσβ. § 192: ἐπειδὴ γὰρ εἷλεν Ὄλυνθον Φίλιππος Ὀλύμπια ἐποίει, εἰς δὲ τὴν θυσίαν ταύτην καὶ τὴν πανήγυριν πάντας τοὺς τεχνίτας συνήγαγεν.

De *scenicis* autem agonibus ita ab Archelao in futurum ordinatis ut temporibus constitutis secundum certa praecepta in Macedonia agerentur, nil apud auctores inveni; nec mirum videtur: nam Dionysia Atheniensium in semibarbara illa regione imitari velle aeque vesanum fuisset ac si Petrus Magnus theatrum franco-gallum ex Ludovici Magni imperio in Russiam transferre atque ibi in futurum constituere temptasset.

Subinde vero praesertim diebus festis Archelai in aula actas fuisse tragoedias, non est cur negemus; quam con-

suetudinem secuti sunt successores, puta in nuptiis Philippi filiae (vid. Arr. II 5 § 10, III 1 § 5, Diod. Sic. XVI 55). Harum omnium fabularum primam suspicor fuisse Archelaum, opus ita compositum ut vivi regis praeconium haberi posset, cuius virtus diligentiaque sub antiqui mythi specie ab Euripide in coelum efferebantur. Nec minus populum tali spectaculo ex ipsa historia petito gavisum Cissei caedem ignovisse, praesenti domino utpote magno imperii fundatori applausisse, in propatulo est. Erat Archelaus purum putum drama Macedonicum.

Quod de Bacchis minime asseverare ausim; frustra enim circumspicio indicia illa multa ac clara, quibus recentissimi auctores ducti Bacchas ex apricis Athenis in Macedoniae frigidam regionem transportarint. Scatetne ea fabula verbis quibus lectori haec terra identidem in animum revocetur? Minime; duos modo huiusmodi locos inveni, ubi Pieria celebratur, Pieria scilicet, Musarum patria a nullo non poeta cantata. Non credis mihi? denuo igitur librum evolve, perlustra notas exegeticas, consule praefationes variorum editorum, nihilo doctior abibis, nisi quod prorsus tibi constabit Weilium duobus tantum hisce locis motum proposuisse suspicionem de qua antiqui homines ne somniarunt quidem. Miramur audaces homines, qui tam exiguo fundamento tantum aedificium superstruere non dubitarint! Sed memores dicterii argumenta non numerare sed ponderare iubentis, exploremus et examinemus versiculos qui tantum valere creduntur ad persuadendum. Quid reperimus? Alter locus hic est (vs. 402 sqq.):

ἱκοίμαν ποτὶ Κύπρον
νᾶσον τᾶς Ἀφροδίτας,
ἵν' οἱ θελξίφρονες νέμον-
ται θνατοῖσιν Ἔρωτες,
Πάφον θ' ἂν ὁ ἑκατόστομοι

βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ
καρπίζουσιν ἄνομβροι
οὗ θ' ἁ καλλιστευομένα
Πιερία μούσειος ἕδρα
σεμνὰ κλιτὺς Ὀλύμπου.
ἐκεῖσ' ἄγε με Βρόμιε Βρόμιε
προβακχήιε δαῖμον.
ἐκεῖ Χάριτες, ἐκεῖ δὲ Πόθος,
ἐκεῖ δὲ Βάκχαισι θέμις ὀργιάζειν.

Chorus Baccharum a rege Thebano oppressus quaerit regionem, ubi proxima in deorum musarumque vicinia terrestribus curis plane vacuus Dionysum carminibus colere possit. Terrae autem, ubi deos ita colere credebantur homines, nulli poetae, nedum Euripidi, ignotae erant. Commemoratur igitur Cyprus insula Veneri sacra, quae cultu arcte cumBaccho coniungebatur; vid. e. g. Anacr. fr. 2:

ὦναξ (sc. Bacchus), ᾧ δαμάλης Ἔρως
καὶ Νύμφαι κυανώπιδες
πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη
συμπαίζουσιν.

Commemoratur Aegyptus rituum reconditorum et occultarum religionum solum natale, de quo quid omnes Graeci sentirent Herondas I. 26 his verbis expressit:

τὰ γὰρ πάντα
ὅσσ' ἔστι κου καὶ γίνετ' ἔστ' ἐν Αἰγύπτῳ.

Commemoratur denique Pieria ἡ μούσειος ἕδρα, quae antiquitus Thraciae pars fuerat (Strabo X 471) atque hanc ob causam Bacchi cum cultu colligata erat: cf. Herod. V. 7. 2. Eur. Hec. 1267. Suet. Aug. 94. imprimis Strab. l.l.: καὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυκοῦργον συνάπτοντες οἱ Θρᾷκες εἰς ἕν, τῶν ἱερῶν τὴν ὁμοιοτροπίαν αἰνίττονται.

Ad Cyprum igitur et Aegyptum hoc cantico non mi-

nus quam ad Pieriam alluditur, neque intelligo cur huic nomini plus quam ceteris tribuatur. Si anno 408 in Cyprum vel Aegyptum profectus esset Euripides, fortasse hodierni editores clamarent: „Hinc praeconium illud Aegypti, hinc Cypri elogium."

Sed alius locus restat, quo fortasse tota hypothesis sustentari possit, quamquam

νηῦς μιῆς ἐπ' ἀγκύρης οὐκ ἀσφαλὴς ὁρμεῖ.

Chorus opem Bacchi invocat; incertus autem ubi degat, recenset loca amoena illius cultu inclyta; ita statim oboritur suspicio praecedentis loci ἀνάλογον nos inventuros.

vs. 556.

πόθι Νύσης ἄρα τᾶς θη-
ροτρόφου θυρσοφορεῖς
θιάσους ὦ Διόνυσ', ἢ
κορυφαῖς Κωρυκίαις;
τάχα δ' ἐν τοῖς πολυδένδρεσ-
σιν 'Ολύμπου θαλάμοις, ἔν-
θα ποτ' 'Ορφεὺς κιθαρίζων
σύναγεν θῆρας ἀγρώτας.
μάκαρ ὦ Πιερία
σέβεταί σ' Εὔιος, ἥξει
τε χορεύσων ἅμα βακχεύ-
μασι, τὸν τ' ὠκυρόαν
διαβὰς 'Αξιὸν εἱλισ-
σομένας Μαινάδας ἄξει,
Λυδίαν τε, τὸν εὐδαιμονίας
βροτοῖς ὀλβοδόταν
πατέρα τε, τὸν ἔκλυον
εὔιππον χώραν ὕδασιν
καλλίστοισι λιπαίνειν.

Primum fit mentio Nysae, ubi Νύμφαι deum ἐνδυκέως ἀτίταλλον (Hymn. Hom. XXV), deinde τοῦ Κωρυκίου ἄντρου,

ubi secundum Sophoclem (Antig. 1125) Κωρύκιαι Νύμφαι στείχουσι Βακχίδες, vel teste Aeschylo (Eum. 22):

> ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεὸς
> λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.

(cf. Strab. IX. 417 a); postremo tertiae regionis, Pieriae, sedis omnium coelicolarum, Musis, Nymphis, Gratiis sacratae, Orphicis non minus quam Bacchicis orgiis notae.

At expressis verbis laudat poeta Lydiam et Axium Macedoniae flumina, quasi hanc terram fusius describere in animo habuerit. Observo rectius Pieriae i. e. Musarum patriae flumina ea vocari, in communi autem thesauro, quo post Homerum et lyrici et tragici utebantur poetae, haec nomina ab Euripide esse reperta; pater enim poeseos iam commemoraverat

Ἀξιὸν οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν B 850; cf Ψ 158.

Vox vero „ἔκλυον", quae valet scholiasticum φασί, aperte demonstrat Euripidem fluvios illos cum Bacchas scriberet nondum vidisse. Quod hinc quoque apparet quod fluvii, quos Euripides ὠκυρόοις et καλλίστοισιν ὕδασιν abundare dixit, minime limpidi erant, turbidissimos enim eos vocat Strabo VII. p. 930: ἔχει δὲ λίμνην ἐξ ἧς ὁ Λουδίας ποταμὸς ῥεῖ· τὴν δὲ λίμνην πληροῖ τοῦ Ἀξιοῦ τι ποταμοῦ ἀπόσπασμα — ὁ Ἀξιὸς θολερός ἐστιν.

Tragicus igitur ex Homero suo, ut saepius, epitheta sic temere transscripsit.

Iam vidimus quibus argumentis „fabella Macedonica" nitatur, quibus adminiculis sustentetur. In satis longa tragoedia 1400 versuum bis nominatur Pieria, regio a quovis poeta laudata, semel celebrantur Pieriae rivi, sed ita ut statim suspicemur Euripidem et hic convivam fuisse τοῦ μεγάλου δείπνου τοῦ Ὁμήρου. De situ vero locorum, de rege ipsius tragici fautore laudumque cupidissimo, ut

solent principes artibus faventes, ne syllaba quidem. Profecto multum profuit semibarbaro huic Maecenati Atticum poetam e longinqua regione arcessivisse qui versibus se celebraret.

Sed nondum in mea castra te pertraxi, lector benevole; nam licet hisce argumentis suam vim non deneges, pulcherrimo Weilii libro captum te esse ingenue fateris. Intelligo; permagna est vis pulchritudinis; est revera τὸ κάλλος πάσης συστατικώτερον ἐπιστολῆς. Quare hoc quoque modo tecum agere volo.

Consilium igitur fuerit Euripidi tragoediam scribendi qua Liberi cultus in Macedonia illustraretur, initio fortasse spectaculorum tragicorum scenae committendam. Quaenam fabula e mythorum bacchicorum abundantia ei eligenda erat? Eane, quae cum Macedonum historia nil commune haberet, quae tota Thebas spectaret? An poeta naturae humanae minime imperitus, potius ad fontem ex ipso Macedoniae solo scatentem se converteret, cuius murmur, utpote auditoribus magis carum, poetae maiorem gloriam vaticinaretur? Nam ut in re musica auditorum auribus grati sunt modi bene noti, ut in oratione ea argumenta praevalent, quae ipse quoque excogitaveris, sic quam maxime gaudent spectatores si in scena semet ipsos laudatos, terram suam honoratam, res suas in maius celebratas aspiciunt, idque poetae acceptum referunt.

At nullus mythus Bacchum in Macedonia commoratum ferebat, itaque apta materia deficiente Euripides coactus est fabula uti e Media Graecia desumta. — Itane vero! Sciunt autem pueri qui in subselliis Ovidium suum legunt, esse mythum ipsa in Thracia natum ad Dionysi potentiam demonstrandam fere aptiorem quam est Penthei ille; sciunt literarum tirones hunc mythum in scenam fuisse productum a poeta quem Euripides saepissime secutus est: „Lycurgum" fabulam dico. Itaque Mnesarchidis

filius si scenae Macedonicae Bacchas suas scribere voluisset, Lycurgeae materiam ab Aeschylo mutuatam suum in commodum vertisset profecto.

Alio quoque argumento haud exigui ponderis confirmari videtur id quod contendo, Bacchas numquam extra Athenas neque ante annum 405 scenae fuisse commissas. Scripsit Aristophanes comoediam Ranarum proprio sensu Bacchi plenam; 25 ibi tragoediae Euripidis derisui habentur, sed nec vola nec vestigium Baccharum inest. Putasne irrisorem hanc fabulam, si iam tunc in lucem edita fuisset, intactam relicturum fuisse? credisne eum Bacchum suum cum Euripideo non comparaturum neque Cadmum Tiresiamque senes bacchantes vellicaturum fuisse? Benevolum scilicet fuisse comicum erga opus a precedentibus mirum in modum discrepans? At nulla expectari potest benevolentia ab eo, qui adversarium ex ipso capulo in scenam protraxit ut ἑλληνικῶς ei insultaret. Nondumne igitur tragoedia Baccharum apud barbaros docta Atheniensibus innotuerit? Noli credere, nam fama talis operis non potuit non celerrime Athenas transferri et inter Bacchas Ranasque editas totus ad minimum annus interesse debuit. Quin et primi versus Archelai prioris editionis afferuntur Ran. 1206 sqq. (Vid. Schol.).

Iam satis est; quantum potui variis argumentis demonstravi coniecturam Weilii reiiciendam esse; nolim autem premere ultimum ἐκ τῶν σιωπωμένων testimonium, quod licet per se parvi sit pretii, cum aliis tamen coniunctum aliquam vim habet: grammaticos Alexandrinos, qui duas hypotheses in Bacchas scripserunt, aulae Macedonicae nullam mentionem fecisse. An credamus tale quid Aristotelem fugisse?

VI.

Sententiam nostram exposuimus; at clamant editores nos improbe atque illiberaliter secum egisse, argumentum enim, cui ad unum omnes quam plurimum tribuerint, tacitos praeteriisse. Praeterii, concedo, sed ut singulo capite pro magno eius momento tractarem. Incipiam et hic verba ipsa editorum afferendo.

E. Bruhn Einl. p. 16 Bakchen: „Gerade in Makedoniën aber lag dieser Stoff dem Euripides nahe. Denn hier hatte sich der Kult des Dionysos in seiner alten stürmischen Wildheit erhalten; hier diente dem Gotte nicht nur eine festbegrenzte Anzahl von Thyiaden, sondern wie uns die Poesie und die bildende Kunst der Hellenen die Maenaden schildern, so schwärmten hier bei den bakchischen Festen die Weiber alle. Hier also durfte wenn irgendwo der Dichter erwarten die Empfindungen eines Bakchenchors nachgefühlt und verstanden zu sehen."

H. Weil l. l. p. 110: „On sait du reste, ce qu'attestent les vers du poète, combien les bacchanales étaient en honneur dans la Macédoine; l'histoire nous apprend qu'Olympias, la mère du grand Alexandre, était passionnément adonnée à ce culte orgiastique. Dans un pareil milieu le poète était astreint à plus de retenue que dans la démocratique Athènes."

Audivi; contendunt auctores immoderatum illud ὀργιάζειν apud Thraces usitatum etiam in Macedonia viguisse: hic

igitur Euripidem tragoedia sua ipsam vitam imitatum esse, Athenis vero si scripsisset simulacra tantum sculptorum in scenam suam potuisset transferre.

Rogas documenta. Affertur locus e Plutarchi Alexandro (c. 2), ubi legimus: πᾶσαι αἱ τῇδε (Maced.) γυναῖκες ἔνοχοι τοῖς Ὀρφικοῖς καὶ τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμοῖς ἐκ τοῦ πάνυ παλαιοῦ. πολλὰ ταῖς Ἠδωνίσι καὶ ταῖς περὶ τὸν Αἷμον Θρήσσαις ὅμοια δρῶσιν, ἡ δ' Ὀλυμπιὰς (Alexandri mater) μᾶλλον ἑτέρων ζηλώσασα τὰς κατοχὰς καὶ τοὺς ἐνθουσιασμοὺς ἐξάγουσα βαρβαρικώτερον, ὄφεις μεγάλους χειροήθεις ἐφείλκετο τοῖς θιάσοις, οἳ πολλάκις ἐκ τοῦ κιττοῦ καὶ τῶν μυστικῶν λίκνων παραναδυόμενοι καὶ περιελιττόμενοι τοῖς θύρσοις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς στεφάνοις, ἐξέπληττον τοὺς ἄνδρας.

Narrat igitur Plutarchus: „omnes mulieres Macedonicas inde ab antiquissimis temporibus Orphicis Bacchicisque mysteriis fuisse initiatas, easque multa Edonis atque Thressis similia fecisse. Olympiadem vero, prae ceteris hisce religionibus obstrictam, nova elementa et ea βαρβαρικώτερα in Bacchanalia introduxisse, e. g. ut mulieres diebus festis magnos angues mansuetos gererent." Unde discimus morem anguium gerendorum Archelai tempore *nondum* in Macedonia acceptum fuisse.

At bacchabantur mulieres Edonorum more modoque; quaenam illi faciebant? Docet Aeschylus fr. 55 Dind. (e tragoedia Edonis); nam postquam quaedam de Cotytiis Bendidiisque dixit τοὺς μὲν περὶ τὸν Διόνυσον εὐθέως ἐπιφέρει:

ὁ μὲν ἐν χέρσιν
βόμβυκας ἔχων, τόρνου κάματον,
δακτυλόδικτον πίμπλησι μέλος
μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλήν.
ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.

καὶ πάλιν

ψαλμὸς δ'ἀλαλάζει
ταυρόφθογγοι δ'ὑπομυκῶνται

ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι
τυμπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογαίου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

Saliunt ergo tripudiantque tibiis, cymbalis ludentes, tympana pulsantes (cf. Ath. XI. 479), nil amplius. Quid vero Euripidis Bacchae?

vs. 699: *ὄφεσι κατεζώσαντο λιχμῶσιν γένυν*
αἱ δ' ἀγκάλαισι δορκάδ' ἢ σκύμνους λύκων
ἀγρίους ἔχουσαι λευκὸν ἐδίδοσαν γάλα.

quae omnia ni fallor mirum quantum discrepant a moribus Macedonicarum Archelao regnante bacchantium. Nec mirum, nam pro maiore parte descriptio Euripidea vel ex ingenio poetae fluxit vel e sculpturis petita est, haudquaquam vero ad naturam expressa semet ipsam quasi authenticum Orgiorum testimonium nobis offert.

Amplificavit dilatavitque Olympias cultum Macedonicum; scio, sed quid hoc cum tempore quo Bacchae docebantur? Notum est pedetemptim in Graeciam et in regiones vicinas introductos esse ritus orientales, quibus et aliorum deorum et Liberi religio degenerabat; cui rei et Alexandri mater suum contribuit; nam ut Lucianus Alex. c. 7. scripsit: *ἐνταῦθα (ἐν Πέλλῃ) ἰδόντας δράκοντας παμμεγέθεις ἡμέρους πάνυ καὶ τιθασούς, ὡς καὶ ὑπὸ γυναικῶν τρέφεσθαι καὶ παιδίοις συγκαθεύδειν καὶ πατουμένους ἀνέχεσθαι καὶ θλιβομένους μὴ ἀγανακτεῖν καὶ γάλα πίνειν ἀπὸ θηλῆς κατὰ ταὐτὰ τοῖς βρέφεσι· — πολλοὶ δὲ γίγνονται παρ' αὐτοῖς τοιοῦτοι, ὅθεν καὶ τὸν περὶ τῆς Ὀλυμπιάδος μῦθον διαφοιτῆσαι πάλαι εἰκός, ὁπότε ἐκύει τὸν Ἀλέξανδρον, δράκοντος οἶμαι συγκαθεύδοντος αὐτῇ τοιούτου.* (Cf. Casaub. ad Suet. Tib. c. 72. Luc. Mort. Dial. 13.1.)

Necnon Alexander ipse in expeditione indica ut Dionysum imitaretur plurimum bacchantium militum petulantiae indulsit, de qua re Curtius IX. c. 10: „per dies septem bacchabundum agmen incessit, parta praeda

si quid victis saltem adversus comissantes animi fuisset." VIII. 10: „inde ad Nysam urbem exercitus pervenit. Sita est sub radicibus montis quem Meron incolae appellant; inde Graeci mentiendi traxere licentiam Iovis femine Liberum patrem esse celatum. Rex cum toto exercitu verticem eius adscendit; credo equidem non divino instinctu sed lascivia esse provectos ut passim hederae ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes Bacchantibus vagarentur. Per decem dies Libero Patri rex operatum habuit exercitum."

In pompa autem Dionysiaca, quam habuit Alexandriae Ptolemáeus Philadelphus, locum obtinuerunt mulieres Macedonicae κατακεχυμέναι τὰς τρίχας καὶ ἐστεφανωμέναι τινὲς μὲν ὄφεσιν αἱ δὲ σμίλαξι καὶ ἀμπέλῳ καὶ κισσῷ· κατεῖχον δὲ ταῖς χερσὶν αἱ μὲν ἐγχειρίδια αἱ δὲ ὄφεις (Ath. V. 196 sqq.) Cultus igitur semper se extendens et in peius mutatus progreditur; quasi morbi contagio cum stupris promiscuis coniunctus Romam intrat, decreto de Bacchanalibus ex Italia expellitur (Liv. 39. 18), sed renascitur sub imperio, ut voluptati libidinique Messalinae satisfaciat (Tac. Ann. XI. 26); denique per vias obscuras transit in magicam artem mediaevalem, ubi Bacchi persona nobis apparet in diaboli formam horribilem atque immundam transmutata. Sed quid haec cum aetate Archelai; in rebus sacris saltem vitemus vitium, quod usque ad hoc tempus res scenicas confudit, neque primis saeculis tribuamus instituta quae labentibus demum annis ascita sunt. Scimus in Macedonia omnes mulieres τῶν ὀργίων participes fuisse, scimus Liberum ibi Thracum more ab Aeschylo descripto esse cultum, sed alia a tragico in Baccharum fabula esse descripta cum Plutarchus tum alii scriptores nos docent.

Quare ne putemus Euripidem mores, habitum, gestum baccharum Macedonicarum ad naturam fideliter delineasse.

At, dixerit aliquis, propius tamen accedebant Bacchae Euripideae ad Macedonicas illas quam ad Athenienses! Minime contemnendum argumentum, si non de nihilo sit fictum. Paulisper igitur subsistamus, et quomodo Bacchanalia Media in Graecia acta sint diligenter indagemus,. qua occasione res nobis erit cum viro doctissimo Rapp, qui in Musei Rhenani vol. 27 (1872) disputationem optimae frugis hac de quaestione edidit.

VII.

Quicunque Bacchas Euripidis perlegit, non potest non observare quanta sit discrepantia inter mulieres chorum efficientes, quae Bacchum comitantur laudemque eius carminibus extollunt, ac feminas a quibus novus deus sub auspiciis Penthei eiusque matris et sororum in montibus celebratur.

Hae vehementi furore incitatae huc atque illuc feruntur plenae deo, hinnuleos dilaniant, catulis mammas praebent, angues manibus tractant: dementes sunt vel videntur. Illae graves in scenam procedunt et carmina fundunt, sacerdotum fere speciem exhibentes. Nempe poeta lasciviam quae Maenadibus propria est data opera seiunxit a gravitate quae decet Thyiades; videbimus autem eum discrimen illud in maius auxisse.

Quid igitur inter Maenades et Thyiades interest?

Verbum μαίνεσθαι, unde derivatur vox μαινάς, arcte cohaeret cum verbis μαιμάω, μαίομαι, μενοινάω; primaria igitur ei inest significatio *cum impetu petendi* (cf. μένος *impetus*, ζαμενής Hymn. Merc. 307, ζαμενῆσαι Hes. Theog. 928), *vehementer tendendi ad aliquid*, quo sensu invenitur apud Hom.: πῦρ μαίνεται οὔρεσιν i. e. *fertur ignis arbores consumpturus varias in saltus partes*.

Sed et secundam significationem apud τὸν ποιητήν repperimus, scil. illam *furendi*, e. g. φρεσὶ μαίνεται οὐκ ἀγαθῇσι.

Participium autem *μαινόμενος* cum nomine Dionysi coniunctum legimus Z 132, ubi Lehrsius annotat: „explicatio incerta, scholiasta autem: *ἡ διπλῆ ὅτι μαινομένοιο ἤτοι μανιοποιοῦ, βακχείας παρασκευαστικοῦ, ἢ αὐτοῦ μαινομένου ἐνθουσιαστοῦ ἢ βακχευτοῦ.*" — Vox *μαινὰς* hapax legomenon offenditur X 460, ubi Andromache dicitur

μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ϝίση | παλλομένη κραδίην. (Cf. Hymn. Cer. 386 et Ruhnk. ad hunc locum), unde apparet maenades poetae fuisse notas.

Ipsae maenades, licet nomine suo non indicentur, locum obtinent in homericis Z 134:

> *(Λυκόϝοργος) ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας*
> *σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήιον· αἱ δ' ἄρα πᾶσαι*
> *θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν.*

Collato enim versu Sophocleo Oed. Col. 694: *ἵν' ὁ Βακχιώτας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει θεαῖς ἀμφιπολῶν τιθήναις* non dubium est quae sint illae „nutrices". Cf. Plut. Quaest. Conv. IV. 6, et Diod. Sic. V. 50, ubi *Διονύσου τροφοί* vocantur.

Nutricum munere revera funguntur in Hymno Bacchi:

> *ὃν (Διόνυσον) τρέφον ἠύκομοι νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος*
> *δεξάμεναι κόλποισι καὶ ἐνδυκέως ἀτίταλλον*
> *Νύσσης ἐν γυάλοις.*

Paulatim vero in arte litteraria evanescit memoria huius muneris, fiunt maenades comites furentes; in vasculis autem pictores pergunt Maenadibus dare nomina qualia Nymphe, Nymphaia, Nais, Oreia, quae homericum nobis hymnum revocant in memoriam (cf. Furtwaengler Sammlung Sabouroff t. 55), sed inde a quarto saeculo severis illis nymphis Dionysi educationi vacantibus adiunguntur in imaginibus Maenades saltantes, thyrsos quatientes, feminae *ἐκστατικοί* e sculptura quoque satis notae.

Primum huius mutationis indicium invenitur in Hymn. Bacch. vs. 8, ubi de Dionyso:

> δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἐναύλους
> κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος, αἳ δ' ἅμ' ἕποντο
> Νύμφαι· ὁ δ' ἐξηγεῖτο, βρόμος δ' ἔχεν ἄσπετον ὕλην.

Sequuntur nimirum deum, quem educarunt Nymphae, magno cum clamore, ut silva inde resonet. Necnon apud Pherecydem:

θρέψασαι τὸν Διόνυσον περιῄεσαν σὺν αὐτῷ (Schol. 486 Σ).

Hesiodus Maenades alto premit silentio; ex aliis poetis locos colligere supervacaneum duco, sufficiat Pindari (Pyth. IV, 216) versus ubi ἴυγξ avis quae amorem excitat vocatur μαινὰς ὄρνις.

Aeschylus autem Μαινάδας dixit τὰς Ἐρίνυας Eum. 496 (Cf. Eur. Or. 411), necnon dignum est quod hic commemoretur apud Latinos posterioris aetatis matronas, quae in Sacris Bonae Deae Priapum invocabant, audivisse Maenades Priapi. (Iuv. VI. 315).

Maenades illae fabulosae Bacchi nutrices et comites clamoribus gestibusque vim vegetam naturae significantes, quas et ipsas motibus exstaticis naturae vires movere et augere posse antiqui putabant, — nec aliam ob rem festum dei nocturno tempore densis in saltibus agere videbantur, cf. Ar. Thesm. 997, — non nisi in mentibus hominum vivebant; at Thyiades erant sacerdotes, quas unaquaeque fere civitas ad Bacchi solemnes ritus certo tempore certoque loco perficiendos publice eligebat.

De cuius nominis derivatione legimus apud Pausaniam X 6, § 4: θυγατέρα ἐθέλουσιν (οἱ Ἕλληνες) Κασταλίᾳ γενέσθαι Θυίαν καὶ ἱερᾶσθαί τε τὴν Θυίαν Διονύσῳ πρῶτον καὶ ὄργια ἀγαγεῖν τῷ θεῷ, ἀπὸ ταύτης δὲ καὶ ὕστερον ὅσαι τῷ Διονύσῳ μαίνονται Θυιάδας καλεῖσθαι.

Ventum autem saevientem hoc nomen heroidis, e qua Apollo filium Delphum sustulit, in mentem revocat (cf. *θύελλα, ἄνεμος σὺν λαίλαπι θύων*, Oreithyia), neque antiquos id latuit; nam cum Delphis oraculum esset editum, ut ventorum opem contra barbaros implorarent (*ἀνέμοισι εὔχεσθαι*), aram aedificarunt in vicinia *τοῦ τῆς Θυίης τεμένου* (Herod. VII, 178).

Erantne igitur cognationis aliquo vinculo inter se iunctae procellae ac mulieres Baccho sacra facientes? Ita, neque singulari aliqua eruditione opus est ut hoc demonstretur; nam Homericum versiculum

ἀλλα μάλ᾽ ἀεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει (*η* 119)

quisquis legit non potest non sentire veteres inter Favoni flatus et naturam renascentem nexum non modo temporalem sed etiam causalem statuisse, quod clarius etiam sic enunciatum est in Homericis (Π 150, *γ* 223) et apud Verg. Georg. III 273, ubi de equis vento gravidis factis legimus. Cf. etiam Geop. IX. 3: *ἄνεμοι οὐ τὰ φυτὰ μόνον ἀλλὰ πάντα ζῳογονοῦσιν.* Accedit quod voces *ἄνεμος* et *animus*, *ψυχὴ* et *ψύχειν*, *spirare* et *spiritus*, *πνεῦμα* et *πνέω* arctum vinculum inter *spirandi* et *vivendi* notiones indicant.

Generandi igitur vim Graeci ventis tribuebant, sed simul credebant homines ipsos, si naturae vires sonosque cursando et clamando imitarentur, efficere posse ut vegetationis daemones frugum ubertatem et fecunditatem agrorum augerent. Hinc fortasse nomen *θυιάδες* iis tributum, quae ceu *ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ* per nemora et lucos magno cum strepitu vagantur. (Vid. Roscher Lex. i. v.)

Vidimus igitur maenades nonnisi in fabulis poetarumque mentibus vivere, *θυιάδας* vero esse mulieres Graecas, quibus sacrificia in Liberi Patris honorem publice mandantur. Utrasque autem significat vox *Βάκχη*; *βακχεύω* (Etym. Gudianum 103. 14) *ἐστὶ τὸ μαίνομαι καὶ μεθύσκομαι*

καὶ ὀρχοῦμαι καὶ γελῶ, — βάκχον autem οὐ μόνον τὸν Διόνυσον ἐκαλοῦν ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια (Suid. i. v.) quin etiam τοὺς κλάδους οὓς οἱ μύσται φέρουσιν a Nicandro dictos esse βάκχους in versu

βάκχοισιν κεφαλὰς περιανθέσιν ἐστέψαντο

docent Scholia ad Ar. Equ. 408.

Sed haec de vi verborum sufficiant; redeamus ad propositum. Optimo iure observavit v. d. Rapp (Mus. Rhen. 27. Die Maenaden im Griechischen Cultus) solemnia fabulosa, quae daemones in nemoribus clam mortalibus obire credebantur quaeque poetis et sculptoribus gratam materiam per omnia saecula praebuerunt, minime esse confundenda cum sacrificiis, quae ab ipsis hominibus alterno anno habebantur in Parnasso. Sententiam suam exposuit v. d. in commentatione perlucida doctissimaque, in qua cum scriptorum tum sculptorum operibus diligentissime perquisitis et exploratis ad hanc conclusionem pervenit:

pag. 610: „der Dionysosfeier wurde alle zwei Jahre an einem *bestimmten* Tag von *gewissen* Frauen begangen, welche mit feierlichen Ceremoniën auf eine Berghöhe zogen um dort am Altar des Dionysos ein Opfer darzubringen und ihn mit Chorreigen und Gesängen zu feiern. Die Festzeit wurde also geregelt, die einzelnen Ceremoniën genau bestimmt, die allgemeine Beteiligung hörte auf und die Feier des Festes verblieb unter Ausschlusz der Jungfrauen einer bestimmten Zahl von Frauen als eine Art von Priestertum."

pag. 9: „die Chorreigen (auf dem Parnass) bewegten sich in ganz bestimmten überlieferten Formen, welche eine Willkür der Einzelnen, die zur Auflösung des Chors geführt hätte, ein Bakchantisches Rasen in Wäldern und Schluchten ausschlieszen muszten."

Recte, si quid video, observavit v. d. non omnes mu-

lieres Athenienses solemnis Bacchi sacrificii fuisse participes, sed hoc officium certo cuidam collegio fuisse mandatum. Quid enim? Feminae Athenienses, γένος εἰθισμένον δεδυκὸς καὶ σκοτεινὸν ζῆν (Plat. Legg. VI. 781), de quibus Stobaeus T. 74, 33 p. 76 ed. Gaisf. δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει εἶναι τῆς ἡλικίας ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθάνεσθαι μὴ τίνος ἐστὶ γυνὴ ἀλλὰ τίνος μήτηρ,— quae Ar. Thesm. 789 clamant:

εἰ κακόν ἐσμεν, τί γαμεῖθ' ἡμᾶς, εἴπερ ἀληθῶς κακόν ἐσμεν,
κἀπαγορεύετε μήτ' ἐξελθεῖν μήτ' ἐκκύψασαν ἁλῶναι,

quarum nomine Andromache Eur. Troad. 649:

αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
κακῶς ἀκούειν ἥτις οὐκ ἔνδον μένει,

hasce mulieres plures per dies noctesque non modo extra domum sed extra urbem crinibus passis solutis vestibus, cuivis libidini obnoxias in montibus silvisque vagatas esse credimus? Quid valebat igitur lex illa Solonis (Plut. Sol. c. 21.) τὰς γυναῖκας μηδὲ νύκτωρ πορεύεσθαι πλὴν ἁμάξῃ κομιζομένας λύχνου προφαίνοντος? quid verba quae antecedunt legem: ἐπέστησε δὲ καὶ ταῖς ἐξόδοις τῶν γυναικῶν καὶ ταῖς ἑορταῖς νόμον ἀπείργοντα τὸ ἄτακτον καὶ ἀκόλαστον? Obsoletam fuisse hanc legem labentibus annis dixerit quispiam. At Plutarchus addit: ὧν τὰ πλεῖστα καὶ τοῖς ἡμετέροις νόμοις ἀπηγόρευται. Plurane vis? Legimus apud Plutarchum de genio Socr. 33: „Pelopida novas res moliente αἱ γυναῖκες ὡς ἑκάστῃ περὶ τοῦ προσήκοντος ἤκουσεν, οὐκ ἐμμένουσαι τοῖς Βοιωτῶν ἤθεσιν, ἐξέτρεχον πρὸς ἀλλήλας καὶ διεπυνθάνοντο παρὰ τῶν ἀπαντώντων. οὐδεὶς δὲ ἐκώλυε".

Apud Athen. XII. 521 B invenimus: Συβαρῖται ἐξοκείλαντες εἰς τρυφὴν ἔγραψαν νόμον τὰς γυναῖκας εἰς τὰς ἑορτὰς καλεῖν, quam legem Casaubonus in Ann. ad locum recte vocat: „vere nepotinam". (Cf. etiam Plut. Sap. Conv. VII).

Stobaeus III: 74 § 61. ed. Mein. narrat τὰ ὄργια Magnae Matris, quae domi habebantur, mulieribus fuisse interdicta.

Ecce autem aliquis Athenienses de feminarum in Bacchanalibus modestia anxios fuisse negat allatis Tiresiae Euripidei verbis (Bacch. 314 sqq.):

> οὐχ ὁ Διόνυσος σωφρονεῖν ἀναγκάσει
> γυναῖκας εἰς τὴν Κύπριν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
> τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί.
> καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
> οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Audio, sed adversa fronte huic sententiae oppositum est quod legimus in Euripidis Ione vs. 543 sqq.:

> Ion.: πῶς ἂν οὖν εἴην σός κτέ.
> ἦλθες εἰς νόθον τι λέκτρον;
> Xu.: μωρίᾳ γε τοῦ νέου.
> vs. 550. Ion.: Πυθίαν δ' ἦλθες πέτραν πρίν;
> Xu.: εἰς φανάς γε Βακχίου.
> Ion.: προξένων δ' ἐν τοῦ κατέσχες;
> Xu.: ὅς με Δελφίσιν κόραις
> Ion.: ἐθιάσευσ', ἢ πῶς τάδ' αὐδᾷς;
> Xu.: Μαινάσιν γε Βακχίου
> Ion.: ἔμφρον', ἢ κατοινον ὄντα;
> Xu.: Βακχίου πρὸς ἡδοναῖς.
> Ion. ... ἐκεῖν' ἵν' ἐσπάρημεν.
> Xu. ... ἐξηῦρεν, τέκνον.

Vides Tiresiae illa argumenta satis fuisse debilia.

Restat opinio eorum qui tali modo ratiocinantur: „Concedo leges sexum in muliebrem Athenis fuisse severissimas, feminas totum per annum quasi carcere coercitas omni libertate caruisse, at natura non impune vincitur, sub vinculis nimis arctis nascitur libertatis desiderium in diem accrescens, quam ob rem antiqui permiserunt

mulieribus dies aliquot festos, quibus genio indulgerent frenaque remitterent, puta Thesmophoria, Bacchanalia!" Itanevero, haec igitur fuit antiquorum mens sana? anxie accurateque dies noctesque feminas toto anno custodiebant ut deinde omnibus petulantiae lasciviaeque periculis eas obiicerent? Non credo. Sed recenseamus quae de Thesmophoriis sunt tradita. Habebant non sub divo sed certo in aedificio (Schol. Thesm. 585); viri non admittebantur (Schol. ibid. 657); pernoctabant binae feminae in singulis tentoriis (Schol. et vs. 624); quid vero facere solitae fuerint mulieres divinare licet e paucis quae praebent Aristophanes eiusque commentatores: solemni ritu concio instituebatur cum praeside ac scriba (vs. 372); sacrificabatur Cereri et Proserpinae (vs. 285); invocabantur omnes Olympii ut civitati Atheniensium atque imprimis muliebri generi faverent (vs. 352); cantabatur in honorem τοῖν θεοῖν (cf. vs. 948 et Schol. ibid.). Quid tandem Bacchico illi furori hic cognatum esse videtur? Non nego quidem hilariorem interdum fuisse conventum mulierum Thesmophoria agentium, quae severius reliquo tempore cohibebantur, sed mirum quantum haec discrepant ab effrena illa et vesana laetitia cui orientales praecipue populi interdum indulgent.

Itaque hac de re convenit mihi cum philologo germano: in Attica non omnes mulieres Bacchanalium participes fuisse. Quin etiam Thyiadum collegium vir doctus legibus, praeceptis, moribus ita vinctum fuisse perhibet ut magis σεμνῶς quam ἐκστατικῶς Bacchus ibi celebraretur; sacerdotes tam moderatas, modestas, severas orgia egisse ut a vagando, clamando, hostiis dilaniendis se continerent. Hic tamen suspicor Rappium argumentatione sua abreptum plus contendisse quam licebat. Prorsusne efferbuerat enthusiasmus quem cultus e Thracia secum attulerat? Vix credibile. Quapropter locos in scriptoribus

repertos scrutemur; Euripidis autem aequales quoniam nihil fere hac de re literis mandarunt, meo iure posteriorum scriptis usurus esse mihi videor, cum praesertim etiam Rappius ad opinionem suam probandam iis usus est.

Initium faciam a loco celeberrimo sed in hac nostra disputatione nondum allato, ubi Strabo de omni genere festorum apud Athenienses disputat. Est in libro decimo 467 C:

κοινὸν δὴ τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων ἐστὶ τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι — τοῦθ' ἡ φύσις οὕτως ὑπαγορεύει. ἥ τε γὰρ ἄνεσις τὸν νοῦν ἀπάγει ἀπὸ τῶν ἀνθρωπικῶν ἀσχολημάτων. τὸν δὲ νοῦν οὕτως τρέπει πρὸς τὸ θεῖον· ὅ τε ἐνθουσιασμὸς ἐπίπνευσίν τινα θείαν ἔχειν δοκεῖ καὶ τῷ μαντικῷ γένει πλησιάζειν.

Sic prudenter Strabo. Et credimus a cultu dei, cuius cum nomine plerumque coniungitur, *ἐνθουσιασμὸν* illum totum afuisse?

Videamus locos quibus Rappius hanc suam opinionem tueri conatus est.

Paus. X 4 § 3 narrat: *αἱ Θυιάδες γυναῖκες μέν εἰσιν Ἀττικαί, φοιτῶσαι δὲ ἐς τὸν Παρνασσὸν παρ' ἔτος αὗταί τε καὶ αἱ γυναῖκες Δελφῶν ἄγουσιν ὄργια Διονύσῳ. ταύταις ταῖς Θυιάσι κατὰ τὴν ἐξ Ἀθηνῶν ὁδὸν καὶ ἀλλαχοῦ χοροὺς ἱστάναι καὶ παρὰ τοῖς Πανοπεῦσι καθέστηκε.* Certum igitur collegium mulierum Atheniensium cum Delphicis annis alternis solemnia Dionysi summo in Parnasso celebrabat: quae mulieres et in itinere, variis locis, choros ducebant et in Panopeo, qui inde *καλλίχορος* vocabatur. Docet Plutarchus (de Iside et Osiride c. 35) e Delphicis quoque mulieribus certum collegium fuisse electum. Loquitur nimirum ad Cleam ducem *τῶν ἐν Δελφοῖς Θυιάδων*.

Paus. X 32 § 7 [illegible] *Παρνασσοῦ* [illegible] *Θυιάδες* [illegible] *Διονύσῳ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι* [illegible]

Unde apparet loco solitario nullis spectatoribus festa esse acta. Notetur vero vox *μαίνεσθαι*.

Plut. Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ c. 18: *ἐν δὲ Δελφοῖς αὐτὸς ἤκουες ὅτι τῶν εἰς τὸν Παρνασὸν ἀναβάντων βοηθῆσαι ταῖς θυιάσιν ἀπειλημμέναις ὑπὸ πνεύματος χαλεποῦ καὶ χιόνος, οὕτως ἐγένοντο διὰ τὸν πάγον σκληραὶ καὶ ξυλώδεις αἱ χλαμύδες ὡς καὶ θραύεσθαι διατεινομένας καὶ ῥήγνυσθαι.* Videmus et hic viros ab orgiis fuisse exclusos ipsumque cognomen Dionysi *ὀρσιγύναικος* indicat a mulieribus modo ea esse celebrata. Necnon subrepit suspicio feminas, quae tam excelsis locis tempore brumali atque id noctu officiis fungerentur, minime pellucidis illis vestibus fuisse indutas, quas in statuis admiramur. (Cf. Antig. 1146 de Nyctelio).

Vidimus Pausaniam X 32 § 7 adhibuisse verbum *μαίνεσθαι*, quod revertitur apud Plutarchum de mulier. virt. 13: *αἱ περὶ τὸν Διόνυσον γυναῖκες ἃς θυιάδας ὀνομάζουσιν . . . . . ἐκμανεῖσαι καὶ πλανηθεῖσαι νυκτὸς ἔλαθον ἐν Ἀμφίσσῃ γενόμεναι.* Ecce bacchantes, quas certo loco, secundum certa praecepta, in carminibus cantandis operatas esse perhibet Rappius, aberrant e Parnasso ad Amphissam; feminae, quas munere sacerdotali sancte et severe functas esse ille contendit, a Plutarcho vocantur *ἐκμανεῖσαι*. Quid Rappius hac de re? „Gegen ihren Willen gerieten sie seitwärts nach Amphissa!" Sed aberrare non potest nisi qui circumvagatur, minime qui loco constituto manet.

Diod. Sic. IV. 3 narrat: *τὰς γυναῖκας κατὰ συστήματα θυσιάζειν τῷ θεῷ καὶ βακχεύειν καὶ καθ' ὅλου τὴν παρουσίαν ὑμνεῖν τοῦ Διονύσου, μιμουμένας τὰς ἱστορουμένας τὸ παλαιὸν παρεδρεύειν τῷ θεῷ μαινάδας.*

Qui locus permagni est momenti. Mea quidem opinione auctor docet mulieres imitari Maenades bacchando, furendo, enthusiasmo indulgendo, motibus igitur exstaticis deum celebrare. Quod obiicit Rappius: „sie rasten selbst nicht sondern suchten das Rasen der Maenaden zur

Anschauung zu bringen" id nimis artificiose excogitatum puto, rogo autem cur Thyiades „spectaculum praebere" conarentur cum nulli ut supra vidimus adessent spectatores. Immo semet ipsas excitabant donec Maenadibus mythicis plane similes essent. Quam sententiam confirmat Plut. Quaest. rom. 112:

αἱ γὰρ ἔνοχοι τοῖς βακχικοῖς πάθεσι γυναῖκες εὐθὺς ἐπὶ τὸν κιττὸν φέρονται καὶ σπαράττουσι δραττόμεναι ταῖς χερσὶ καὶ διεσθίουσαι [τοῖς στόμασι] — ὧν τὰ πόλλα διὰ σκότους δρᾶται. Cf. Strab. 466 B.

Artemid. Onirocr. IV. 39: *ἣν τελετὴ τοῦ Διονύσου καὶ μυστήρια. ἔδοξε γυνὴ χορεύειν τῷ Διονύσῳ μεθυσθεῖσα· τὸ ἑαυτῆς τέκνον ἀπέκτεινεν ὂν τριετές· καὶ γὰρ ὁ περὶ Ἀγαύην καὶ Πενθέα λόγος τοιοῦτος.*

Quibus omnibus perpensis credo v. d. Rappium longius evagatum a veritate aberrasse, doctam autem acutamque eius disputationem aptiorem esse aevo ritus obsoletos atque inanes dicis causa servanti, quam priscae illi aetati qua naturae indulgere nondum perversum habebatur. Revera tempore Euripidis *furebatur* in Parnasso non ab omnibus quidem mulieribus sed a Thyiadum collegio.

Melius mihi placent quae Rappius disputavit de Maenadum habitu. Probavit e loco supra laudato (Plut. Vit. Alex. 2) angues manibus tenere vel crinibus innectere Bacchis Atticis usitatum non fuisse, Plutarchum enim de ea re ita loqui ut novam, barbaram, e Thracia petitam tunc temporis fuisse appareat. Gerebant Thyiades Atticae thyrsos et faces, indutae erant pellibus, cymbalis tympanisque utebantur. Cf. Plut. de Iside et Osiride 35: *νεβρίδας περικαθάπτονται καὶ θύρσους φοροῦσι καὶ βοαῖς χρῶνται καὶ κινήσεσιν.*

Tempore vero Macedonico haec omnia immutata vel potius orientalibus additamentis ornata sunt; tunc orgia Dionysiaca a mulieribus profanis sunt acta, quod quo animo

viderint Athenienses apparet e contumeliis quibus Demosthenes matrem Aeschinis petivit (de Cor. 259 sq.).

Rogatur denique quid vascula nos doceant. Indefesso labore Rappius et hanc quaestionem tractavit, exempla collegit, ordinavit, suas de iis sententias addidit. Quae omnia repetere supervacaneum est, afferam modo quae cognitu dignissima mihi videntur.

Quae in vasculis primae aetatis inveniuntur scenae Bacchicae, cum veterum poetarum verbis non congruunt, sed simplici ornatu motuque vehementiore figurae illae nigrae in solo rubro conspicuae sunt. At simulac mutata ratione pingendi rubrae figurae nigro in solo apparent, Bacchae pictorum et poetarum magis magisque sibi similes fiunt, donec vascula italica nexum firmum ac stabilem inter utrasque luce clarius ostendunt.

Monitum autem volo lectorem in vasculis pulchri stili pictorem poetae *verbis* duci potissimum, non id agere ut spectaculum in theatro visum accurate delineet.

(Cf. O. Jahn Einl. Vasensamml. CCXXVII). Qua cum sententia congruit, quod observat Furtwaengler Coll. Sabouroff I ad Imag. IV[am]: „il ne faut pas croire cependant que le peintre ait eu l'intention de reproduire un *véritable* choeur de Maenades, il a bien voulu représenter, comme l'art le faisait presque toujours, le choeur mythologique." Perpauca igitur nos docent vascula de ratione qua Bacchanalia in Parnasso habebantur. Quotiescumque in iis mulieres exstaticas invenis fabulosi aliquid repraesentatur oculis; Thyiades Athenienses non reperias nisi severo sacerdotum habitu indutas. Inspice sis imaginem 4[am] in operis Gerhardi Trinkschale parte I[a], quae ad vitam mihi expressa videtur: est vasculum noti pictoris Hieronis, Thyiades gerunt vestem talarem, thyrsos, tibias, crotalos, adest deus Dionysus, sed absunt Satyri, absunt angues.

Haec vero de Thyiadibus pictis observatio nonne obstat

sententiae nostrae, qua motus exstaticos in Parnasso iis tribuimus? Minime; nulli enim pictores in Parnasso aderant cum orgia agebantur, nulli adesse poterant; quapropter, quae de veris bacchanalibus illic actis tradebantur cum narrationibus fabulosis confundentes, imagines suas non ad vitam exprimebant sed ad verba poetarum.

At figuras illas sacerdotali habitu vultuque unde petere potuerunt? — Respondebis ipse lector benevole qui hoc rogas; aspexerat pictor thyiades graves, solenmi ritu Athenis Delphos proficiscentes, aspexerat in itinere modestas moderatasque choros hic illic ducentes.

Unam etiam rem non funditus quidem pertractare — non enim suppetunt documenta neque is sum, qui talia ad finem perducere possim — sed paucis tamen verbis attingere volo. Quoniam certum videtur id quod firmissimis argumentis evicit Rappius, discernendas esse institutiones bacchanalium mythologicas ab historicis, prisci autem vasculorum pictores neque quae in monte Parnasso fiebant exprimere neque e scena tragica sua petere potuerunt, rogatur quibusnam exemplis usi fuerint. Fert enim ratio ut artifices illas imagines non de suo invenisse statuamus; quod et stilus docet. Observarunt enim v. d. tantopere figuras pictas inter se congruere ut statim nascatur suspicio statuas quasdam vel tabulas pictas pro exemplo fuisse (Cf. Franz Winter L Progr. Winckelmannsfest.) Quaeritur igitur num fuerint in Graecia egregia quaedam statuariorum vel pictorum opera, in quibus Dionysi facta tam venuste repraesentarentur ut vasorum pictores fideliter ea sequenda sibi ducere potuerint. In fronte occidentali templi Apollinis Delphici exstitisse statuas Dionysi et Thyiadum opus Androsthenis aequalis Praxiae, cui Calamis magister fuit, docet Pausanias X 19 § 3. Sunt igitur factae medio fere saeculo V° a. C. n., ita ut exempla esse potuerint Hieronibus aliis-

que. Quod vero contendit v. d. Winterus l. l. p. 116: „in Athen selbst sah man in dem alten Tempel des Dionysos Wandgemälde; auf solche Bilder mag manches in den Darstellungen der Vasen zurückgehen," id maximae dubitationi obnoxium esse mihi videtur. Verba sunt Pausaniae I 20 § 3: τοῦ Διενύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν — δύο δέ εἰσιν ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναοί — γραφαὶ δὲ αὐτόθι Διόνυσος ἀνάγων Ἥφαιστον εἰς οὐρανόν... καὶ Πενθεὺς καὶ Λυκοῦργος ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας.

Fuit igitur apud Magnum Theatrum Dionysi locus antiquissimus (!) huic deo sacratus, cuius intra saepimentum inveniebantur duo templa, in alterutro tabulae pictae Liberi Patris memorabilia facta spectatoribus ostendebant. Reliquiae autem templorum, de quibus l. l. sermo est, hisce annis a Dörpfeldio sunt effossae: alterum ante bellum persicum aedificatum videtur (vid. Das Griechische Theater Dörpfeld-Reisch pag. 16), alterum exstructum esse primis annis saeculi quarti specioso argumento vir strenuus et sagacissimus contendit (l.l. pag. 22). Utro in templo illae γραφαὶ aspiciebantur? Putat Winterus in antiquiore, Dörpfeldius vero utriusque templi mensurae formaeque ratione habita in recentiore fuisse positas fere evicit (pag. 22); quem si sequimur, tabulae IV° saeculo ineunte pictae nil potuerunt prodesse artificibus, qui medio quinto vascula Dionysi rebus gestis ornabant. Quam ob rem actum est si quid video de Winteri illa suspicione.

Sed praeter exemplum illud a Pausania memoratum et alia exstitisse certo iam est certius; nam cum hucusque Maenadibus furentibus, quae altera manu hinnuleum dilaniatum tenent, altera, cultello armata, vestem delapsam subducere conantur, pro exemplo fuisse statuam Scopae [1]) viri docti sibi persuasissent, nuper marmor sculptum

---

[1]) Βάκχη χιμαιροφόνος. Vid. Sandys l.l. 73.

(relief) in Esquilino repertum demonstravit iam Miltiadis tempore hanc imaginem Atheniensibus fuisse notam (vid. Winterum l.l.).

Ad finem pervenimus huius capitis, quare missis ambagibus denuo statuo: Rappium iure suo e scriptoribus effecisse Bacchanalia non ita ut in Euripidis Bacchis describuntur in Attica esse acta. Non omnes mulieres ad Liberi orgia admittebantur, non licebat deum honorare quo quaeque modo volebat; erat certum collegium, erant certa praecepta. Iniuria vero contendit vir doctus bacchicum furorem, priscam illam ἄνεσιν τοῦ νοῦ a Thyiadibus in monte Parnasso nocturno tempore deum celebrantibus prorsus fuisse alienam; — iniuria nobis proposuit philologus germanus „eine streng gemaszregelte Walpürgisnacht."

Itaque cum certum sit non minus in Attica quam in Macedonia mulieres bacchatas esse, poetae autem vetustas fabulas sicuti res vere actas minime studeant depingere, non video, cur Euripidis Bacchas potius Archelai aulae scriptas esse statuamus quam theatro attico.

VIII.

ἔγνων οὖν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο, ὅτι οὐ σοφίᾳ ποιοῖεν ἃ ποιοῖεν, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες.

Plat. Apol. Socr. VII.

Tres hypotheses de Bacchis hucusque prolatas atque defensas tractavimus; primo reiecimus opinionem eorum, qui poetam sub vitae finem palinodiam quandam cecinisse in animum sibi induxere, dein eorum, qui hanc fabulam eadem mente qua Hippolytum scriptam esse contenderunt, tandem conati sumus refellere philologos, qui ab hoc opere seriem continuam tragoediarum Archelai in aula actarum initium coepisse opinantur. Nunc optimo iure rogatur quid ipse censeam. Itaque meam qualemcunque opinionem prolaturus initium faciam a verbis Wilamowitzi, qui in Heraclis editione sua pag. 378 rectissime haec observavit:

„Sehr verbreitet und eben wieder aus der Wurzel Philosophischer Abstraction erwachsen ist das Bestreben eine jede Tragoedie auf die Formel einer Grundidee zurückzuführen. — Es wird sich in einem kurzen Schlagewort nicht zusammen fassen lassen." Noli igitur, lector benevole, a me exspectare schema quoddam unde drama ne transversum quidem unguem discedat; noli poscere formulam aliquam mathematica ratione totum poetae opus amplectentem. Contra, quantum quidem liceat, abstinebo a digressionibus; mansuetus atque oboediens eo me duci

patiar quo tragoedia ipsa me vocet, cognoscere conabor Euripidem ex Euripide ipso.

Diverbia igitur et cantica exploremus, an forte Euripidis sententia hic illic transluceat; et quoniam fuere qui in Cadmi Tiresiaeque verbis mentem poetae perspicere sibi viderentur, ante omnia videamus quibus argumentis novam religionem contra Penthei crimina defendant senes, quomodo Bacchi divinitatem coram rege praedicent.

Augur triplicibus laudibus deum extollit:

„Dionysus vinum invenit hominibusque donavit, ut eo dolores lenirent, vitae aerumnarum immemores fierent, laboribus mederentur" (vs. 278. 283). Horatio sane digna verba, at miseret grandaevi poetae, si sub finem vitae sublimibus meditationibus intentae huc devenit ut poculum ultimum doloris refugium iudicaret!

„At etiam *μάντις* est Dionysus" (vs. 298). Epitheton laudis plenum si auguris ore profertur, sed Euripidis opinionibus minus consentaneum.

Denique „Dionysus est deus qui Πανικὸν δεῖμα excitare potest" (vs. 304). Quod argumentum unde poeta petiverit cum Bruhnio nescio; utut id est, vim habet vel habere potest in re militari, nullam vero apud philosophos, homines quam maxime a Marte alienos.

Sequitur (vs. 319 sqq.) „argumentum ad hominem" admodum ieiunum: „tu, Pentheu, laudari gaudes, putasne illum minus quam te honoribus oblectari?"

Quis est, qui post talia poetam ipsum sub auguris persona quaerat?

Festivo vero patrocinio fungitur Cadmus, homo miro quodam affinium amore flagrans; cui Bacchi divinitas hanc praesertim ob causam agnoscenda videtur, quod cognati inde non parvum honorem nacturi sint. Hinc vs. 181:

> δεῖ γάρ νιν, ὄντα παῖδα θυγατρὸς ἐξ ἐμῆς,
> ὅσον καθ' ἡμᾶς δυνατόν, αὔξεσθαι μέγαν.

hinc verba homine novo, cui vana species plus valeat quam veritas, multo magis digna quam rege grandaevo (vs. 333):

> κεἰ μὴ γὰρ ἔστιν ὁ θεὸς οὗτος, ὡς σὺ φῄς,
> παρὰ σοὶ λεγέσθω· καὶ καταψεύδου καλῶς
> ὡς ἔστι, Σεμέλη θ᾽ ἵνα δοκῇ θεὸν τεκεῖν
> ἡμῖν τε τιμὴ παντὶ τῷ γένει προσῇ.

Fuerunt ut vides pietatis simulatores ante Tartuffium! Tali autem homini, quem tragoediae argumento urgente creavit, suas sibi opiniones tribuere ne somniavit quidem Euripides. Immo, si quid video, imminuitur talibus dictis dignitas dei, caretque elogium fundamento unice vero: pietate.

Sed propius quas partes ambo senes in fabula agant consideremus. Tiresias ut audimus ex convento Cadmum quaerit, quocum festum Bacchi agat. Paratus est senex Cadmus ad saltandum, tripudiandum, caput ederigerum iactandum, quin etiam sub. divo pernoctandum — nescit autem quo loco (vs. 184 ποῖ δεῖ χορεύειν). Neque ego scio, nam viros ab orgiis in monte Cithaerone fuisse exclusos testatur tota fabula, confirmant quae de Bacchico cultu et mythica et historica aetate nobis innotuerunt. Augur autem cum hanc difficultatem non dirimat, Cadmus incerto verbo ὄρος itineris scopum indicat, valde autem ieiune, postquam viribus iuvenilibus praeditum se esse exclamavit, augurem rogat annon vehiculo potius usuri sint. Sed negat Tiresias, deus enim ἀμοχθεὶ eos ducet (vs. 194); cuius responsi memores, miramur eum paulo post (vs. 363 sq.) Cadmum alloquentem: „tu meum corpus sustenta, ego te fulciam; turpe est senibus cadere, ἴτω δ᾽ ὅμως!“ — Abeunt ergo titubantes in Cithaeronem, ubi quid fecerint plane ignoramus; nuntius enim, qui (vs. 677) multus est in Baccharum rebus gestis referendis, ne

una quidem syllaba eorum facit mentionem. E versibus autem 1216 sqq. apparet senes, qui modo ad pervigilia parati fuerant, cito domum reversos fuisse.

Parum haec omnia inter se constare nemo non videt; si quis autem roget, num Tiresiae Cadmique personae utique fabulae necessariae sint, respondeamus et iis sublatis drama rectis talis stare posse. Qua igitur de causa Euripides eos in Bacchas introduxit? Non, puto, ad argumentum fabulae explendum, sed quo vividius ferirent spectantium animos Penthei iuvenilis ardor cum venerabili augure novum deum defendenti conflictans et Cadmus simul cum Agave in scenam progressus nepotisque caput avulsum agnoscens. Talia enim argumenta tragicis poetis in deliciis erant, quibus nunquam non usi atque adeo abusi sunt, Homeri exemplum secuti, quemadmodum variorum sculptorum aetates in eisdem mythis iterum atque iterum repraesentandis vires suas exercuerunt.

At si haec prudenter sunt disputata, Tiresiae quidem persona ante tragoediae περιπέτειαν opus erat, sed Cadmus non nisi post fabulae conversionem fuit introducendus. Cum tamen exigeret oeconomia ut augur validam ob causam ante regiam appareret, non ut alias a rege ipso arcessitus, poeta infelix illud in montibus bacchandi consilium senibus attribuit, fortasse opinatus tali spectaculo Bacchi omnipotentiam clarius indicatum iri, neque reputans sic senum ipsiusque Dei gravitatem ita laedi, ut satyricum potius drama quam vera tragoedia agi videretur.

An fortasse et hic σκορπίος ὑπὸ λίθου λανθάνει; gravitatemne illam Bacchi insulso et inepto spectaculo deridere conatus est noster? Vidimus quomodo Dionysi cultores deum suum defenderint, confiteamur autem necesse est talem defensionem magis ludicram quam piam esse, Euripidem si a senum partibus stetisset alia eaque meliora argumenta afferre potuisse. Sciebat autem poeta Bacchum mox poe-

nam de Pentheo sumpturum esse horrendam atque abominandam, sciebat secuturum spectaculum idoneum quo animi spectatorum taedio afficerentur, dignius quod in Parthorum regis aula aspiceretur, quam quo culti Athenienses oblectarentur (Vid. Plut. Crass. c. 33). Et putamus sanum hominem, qualis fuit Euripides, deum malefico praestigiatori simillimum (cf. Van Leeuwen l. l. p. 28) prius ex animi sententia laudibus efferre voluisse quam propudio eum haberet?

Cum Agave infelicis filii caput iactans procedit in scenam, cum filii sanguine conspersa canit saltatque, quid tunc chorus? quid dicit?

vs. 1163. καλὸς ἀγὼν ἐν αἵματι στάζουσαν
χέρα περιβαλεῖν τέκνον.

Cum Agave post verba (vs. 1189):

ὁ Βάκχιος κυναγέτας σοφὸς σοφῶς (!)
ἀνέπηλεν ἐπὶ θῆρα τόνδε Μαινάδας

chorum allocuta rogat: ἐπαινεῖς; quid tunc chorus? . . . . τόδ' ἐπαινῶ!

Ecquis hic non persentit poetae amaram ironiam? Quis est, qui non videat Euripidem talia scribentem Bacchum nihilo minus contempsisse quam olim fecerat Pentheus?

Cum Dionysus in fine fabulae pronuntiat (vs. 1345):

ὄψ' ἐμάθεθ' ἡμᾶς, ὅτε δ'ἐχρῆν, οὐκ ᾔδετε,

Agave ex omnium credo auditorum mente respondet:

ἐγνώκαμεν ταῦτ', ἀλλ' ἐπεξέρχει λίαν.

Cum deus se defendere conatus profert miserrima verba:

καὶ γὰρ πρὸς ὑμῶν, θεὸς γεγώς, ὑβριζόμην,

prosternitur, atque ita ut resurgere nequeat, dicto pulcherrimo:

ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς.

quibus paucis verbis Euripidis e corde ortis deus est *condemnatus;* tollatur igitur aulaeum, de Baccho actum est! non enim nisi ridentes audimus ultimum defendentis se versiculum:

πάλαι τάδε Ζεὺς οὑμὸς ἐπένευσεν πατήρ.

Docet nimirum id, quod iam diu suspicati eramus, terribilem illum θεόν fuisse νευρόσπαστον; tragicus hoc spectatores celare minime voluit.

Hoc igitur dico, poetam hic ut saepius mythum in tragoediae formam redegisse, cuius primariam personam, deum Olympium, nihili ducebat, immo quem si exstare credidisset, omni pectore esset abominatus.

Attamen est aliquid in hac fabula, quod in plerisque aliis Euripidis operibus frustra quaeritur, quodque efficit ut Bacchas pulchrum drama dicere possimus.

Saint-Victor (Les deux Masques) facete observavit: „que le poète en blasphémant Bacchus aurait comme Cham raillé son père ivre!" quae sententia veri aliquid procul dubio continet. Non dico Euripidem „mythico deo" pepercisse eiusve facta probasse; minime! contendo tragicum iuxta horribile monstrum, quod spernebat et contemnebat, alium Dionysum, quem sicut omnes alii poetae patrem suum optimo iure vocare posset, laudasse ac coluisse. Ipse poeta elatus est bacchantium furore, vibrarunt eius nervi ad studium ardens adorantium, flexit et ipse genua ad aram dei invocati. Nam sciebat nomine Bacchi acclamari suum deum, patronum suum atque genium, principium divinum, cuius sacerdos fuerat per totam vitam.

Nec parum corroboravit hunc sensum tempus ipsum

quo fabula est composita. Raro quidem fit, ut indicari possint res vitae publicae quae alicuius momenti fuerint in effingendo artis opere, raro veluti digito ostendere possumus, quid poetam incitarit vel duxerit; hoc scilicet ipsa fert res, cum praesertim versemur in poetae vetusti operibus. Liceat tamen coniecturam mihi proferre, quae fortasse ad tragoediae sensum melius intelligendum aliquid conferat.

Legimus apud Aelianum V. H. II 8. Περὶ Ξενοκλέους καὶ Εὐριπίδου ἐν Ὀλυμπίᾳ ἀγωνισαμένων [1]). κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐνενηκοστὴν Ὀλυμπιάδα (sequor emend. Meursii nisam Diod. Sic. XIII. 204), καθ' ἣν ἐνίκα Ἐξαίνετος ὁ Ἀκραγαντῖνος στάδιον, ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης. καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς — ὅστις ποτε οὗτός ἐστιν — Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι Σατυρικῷ. τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ και Παλαμήδῃ καὶ Τρῳσὶ καὶ Σισύφῳ Σατυρικῷ. Xenoclem autem vicisse alterutram ob causam: ἢ ἀνόητοι ἦσαν τῆς ψήφου κύριοι καὶ ἀμαθεῖς καὶ πόρρω κρίσεως ὀρθῆς ἢ ἐδεκάσθησαν· ἄτοπον δὲ ἑκάτερον καὶ Ἀθηναίων ἥκιστα ἄξιον. —

Anno igitur 415 qualemcunque ob causam — nam difficile et aleae plenum puto aliquid de re tam incerta constituere — Euripides in scena repulsam tulit, coronari vidit Bacchas adversarii. Et qualis adversarii? Hominis, quem optimo iure infra se ducere poterat, ἀξέστους ἐν τῇ ποιήσει (schol. Ran. 86), derisi ob inscitiam importunamque vafritiem ab Aristophane (Thesm. 169, 440), telis petiti a Platone comico (vid. disp. Cob. p. 185). Haud dubie Euripides a tali poeta vinci quam maxime probro-

---

[1]) Quid sit ἐν Ὀλυμπίᾳ frustra quaero. Mutarunt v. d. ἐν Ὀλυμπίοις quod aeque minus capio. Anni indicium hic nihilo magis exspectatur quam in Vesparum hypothesi, de qua re vid. ed. Leeuwenianam in praef. XXXVI. Moneo Diog. Laert. III. 5 pro Ὀλυμπιακὸν θέατρον esse restitutum Διονυσιακόν.

sum sibi duxit; suscepit consilium Atheniensibus monstrandi quid ipse in Bacchica tragoedia scribenda valeret, quomodo verus poeta non mythicum illum deum, sed suum patronum, τὸν τοῦ ἐνθουσιασμοῦ πατέρα, honorare posset.

Sed tempora ei non favebant; paulo enim post Decelea a Lacedaemoniis occupata est (Thuc. VII 19), ita ut Athenienses deum Iacchum non iam sacra via Eleusinem deducere auderent; vid. Plutarch. Vit. Alcib. 34: ἀφ' οὗ γὰρ ἐπετειχίσθη Δεκέλεια καὶ τῶν εἰς Ἐλευσῖνα παρόδων ἐκράτουν οἱ πολέμιοι παρόντες, οὐδένα κόσμον εἶχεν ἡ τελετὴ πεμπομένη κατὰ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ θυσίαι καὶ χορεῖαι καὶ πολλὰ τῶν δρωμένων καθ' ὁδὸν ἱερῶν, ὅταν ἐξελαύνωσι τὸν Ἴακχον ὑπ' ἀνάγκης ἐξελείπετο. Seiunctum videbatur ab Athenis numen illud, quod in Iaccho κισσοφόρῳ renatum et Ἐλευθερεὺς ὁ παυσίλυπος acclamatum cum animos curis terrestribus liberare tum civitatis libertatem tueri videbatur. Accedebat quod Bacchanalia rustica, ἡ πάτριος τῶν Διονυσίων ἑορτή (Plut, de cupid. div. 8) praesentia hostium prohibebantur, multique Dicaeopolides cotidie ἀποβλέποντες εἰς τὸν ἀγρὸν, στυγῶντες ἄστυ simul cum terris suis deum ruricolam Dionysum perdidisse sibi videbantur. Hoc vero tempus non erat quo poeta Bacchas induceret.

Ecce venit annus 408 et cum eo Alcibiades. Describit Xenophon Hell. II 4 § 12 quomodo curiosi spectatores eum in Piraeo exspectaverint tanquam genium aliquem benignum quaelibet bona afferentem; narrat Duris Samius τὴν ναυαρχίδα ἱστίῳ ἁλουργῷ προσφέρεσθαι τοῖς λιμέσιν ὥσπερ ἐκ μέθης ἐπικωμάζοντος (Plut. Alc. 32). Videsne Bacchum victorem, qui sub Alcibiadis persona Athenas revertitur? —

Quid primum facit heros? Audiamus Plut. l.l.: καλὸν ἐφαίνετο τῷ Ἀλκιβιάδῃ καὶ πρὸς θεῶν ὁσιότητα καὶ πρὸς ἀνθρώπων δόξαν ἀποδοῦναι τὸ πάτριον σχῆμα τοῖς ἱεροῖς παραπέμψαντα πεζῇ τὴν τελετὴν καὶ δορυφορήσαντα παρὰ τοὺς πολεμίους. ἱερεῖς δὲ καὶ

μύστας καὶ μυσταγωγοὺς ἀναλαβὼν ἦγεν ἐν κόσμῳ θέαμα σεμνὸν *καὶ θεοπρεπές*. Ita „venerabile spectaculum" ut Athenienses gavisi auctorem ad regnum affectandum incitarint. Liber reversus plus valebat quam libertas. Haec vulgus, quid vero Bacchi alumni? Perlege sis pulcherrimum carmen in Ranarum initio: *Ἴακχ' ὦ πολυτιμήτους ἕδρας ἐνθάδε ναίων*· nullum iocum, nullum verbum lascivum animadvertis. Poeta, qui nusquam alias, ne in aliis quidem Liberi hymnis, puta Acharn. 240 sqq., auribus pepercit, hic *puram* unionem coronae suae inseruit. Sentimus animum comici vehementer commotum risusque praeter morem impatientem. — Et Euripides? Intelligebat nunc venisse tempus, quo repulsam anni 415 ulcisceretur; Archelai praemiis allectus Athenasque relicturus novum opus suscepit, quod tamen quominus ad finem perduceret causa nobis ignota eum prohibuit. Fingo mihi poetam et in itinere de tragoedia sua Atheniensium theatro destinata sollicitum, semper incitatum impulsu poetico, qui ultimum hoc opus patriae dedicare eum iubebat, quo clarius etiam quam antea auditoribus ostenderet quam penitus contemneret Olympios, et quo divinum spectaculum anni 408 oblivioni eriperet. Laetas harum dierum exspectationes ruentibus Athenis ante oculos ponere voluit seque quamvis absens genuinum Atticae filium testari.

Baccharum fabula et in chori carminibus et in Orgiorum descriptione *ἐνθουσιασμοῦ* plena est; quae res si, ut puto, non infima vetustae religionis pars putanda est, Euripides hic nobis intimae pietatis suae testimonium reliquit. Exempla vero — et veniam peto si audacius quid a me dictum videatur — abundant vel desunt prout lector poetico quodam sensu sive praeditus est sive caret. Absit a tali re ars dialectica vel mathematica!

Equidem gaudeo et hic sub Wilamowitzi scuto me latere posse, qui rem acu tetigit ita locutus: „Wer Euri-

pides' Tätigkeit in seinem greisen Alter überblickt, ihre fieberhafte Hast, ihre Friedlosigkeit, die verbitterte Welt und Menschen verachtende Stimmung und daneben die einzige Freude eben an der poetischen Tätigkeit, der kann sichs gar wohl so vorstellen, dass er das Gelöbniss erfüllt im Heracles gegeben (vs. 685), in den Bacchen alle die wilden Geisten vorführend, die ihn in dem rasenden Taumel hielten. Ihm gehört die Stimmung an!" [1]).

Etiamne religiosas sententias, quae huic dramati inspersae sunt, hinc ortas esse putas? Minime. Nam ut initium faciamus a Cadmi Tiresiaeque dictis (vs. 196 sqq.), nego et pernego haec e poetae mente esse prolata, supervacaneum autem duco post ea quae supra de hisce personis observavi, fusius demonstrare Euripidem talibus interpretibus usum non fuisse.

Vs. 386 sqq. chorus loquitur *ex officio*, profert vulgi de philosophia opinionem; poetae vero mentem exprimunt Aristotelis verba Eth. Nic. X. 7: οὐ χρὴ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται, ἀθανατίζειν. (Vid. Bruhn ad locum).

Idem valet de verbis 427 sqq.

Versus 882 sqq. (ὁρμᾶται μόλις κ. τ. λ.), qui Aeschylum in Eumenidibus sonant, e Baccharum ore nemo non exspectat.

Ipsius vero Euripidis credo cum v°. cl°. Van Leeuwen (l. l. p. 28) sceptica illa et contemptus plena:

κοῦφα γὰρ δαπάνα νομί-
ζειν ἰσχὺν τόδ' ἔχειν,
ὅ τι ποτ' ἄρα τὸ δαιμόνιον.

Vs. 1002—8 fortasse validissimum tragici εὐσεβείας

[1]) Cf. Kuiper l.l. pag. 396.

documentum praeberent, si modo a quoquam mortalium intelligi possent. Hac igitur de re tum demum disputandum puto cum non amplius divinabimus sed sciemus.

Vs. 416 sqq., 771 sqq. id exprimunt quod veteribus persuasum erat: cupiditatibus humanae naturae insitis et voluptati in vita humana suum ius esse concedendum. (Cf. Silber de Eur. Bacch. 41).

Haec autem, ut per se satis perspicua, mittamus, ut aliquantisper in carmine 902 sqq.: εὐδαίμων μὲν, ὃς ἐκ θαλάσσας κτέ. moremur, quod alii aliter interpretantur; nam postquam Lobeckius (Aglaophamus 648) ea verba cum solemni Eleusiniorum mystarum formula congruere observavit: „ἔφυγον κακόν, ηὗρον ἄμεινον", asseclas atque adversarios sibi invenit (vid. Sandys in ed.).

Quod ad me attinet, aliquid e mysteriis in Baccharum fabulam irrepsisse negare non audeo; immo vs. 69 sq. ἔκτοπος ἔστω στόμα τ'εὔφημον ἅπας ἐξοσιούσθω in memoriam revocant verba hierophantae in Ranarum fabula: εὐφημεῖν χρὴ κ. τ. λ. (vs. 354), necnon versum 72 cum lego: ὦ μάκαρ ὅστις εὐδαίμων τελετὰς θεῶν εἰδὼς βιοτὰν ἁγιστεύει aliorum poetarum qui mysteria laudarunt recordor, e. g.: Pind. Thren. VIII:

> Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα κοίλαν εἶσιν ὑπὸ χθόνα·
> οἶδεν μὲν βιότου τελευτάν,
> οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

Sophoclis fr. 719 Dind.: Ὦ τρισόλβιοι κεῖνοι βροτῶν κτέ. Isocratis Paneg. VI. 59: ἧς (τῆς τελετῆς) οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.

Cf. etiam Crinagorae Epigr. 30, Aeschines in Axioch. 371 D, Schol. Aristid. 101, Cic. de Legg. II 14, Verr. V. 141.

Nemo autem quod quidem sciam hactenus observavit verba ἔφυγον κακὸν κτέ. nullo iure referri ad sacra Eleusinia. Leguntur Demosth. de Coron. 259, ubi orator ad Aeschi-

nem: ἀνὴρ δὲ γενόμενος τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βιβλίους ἀνεγίγνωσκες — τὴν νύκτα καθαίρων τοὺς τελουμένους καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ καὶ τοῖς πιτύροις καὶ ἀνιστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ κελεύων λέγειν· Ἔφυγον κ. τ. λ., quo loco non agitur de sacris Eleusiniis sed de superstitione quadam ex Oriente in Graeciam introducta; sequentia verba καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ καὶ ἐπορχούμενος ὑῆς ἄττης ἄττης ὑῆς omnem de hac re dubitationem tollunt. Accedit quod e fabulis servatis utrum Euripides mysteriis initiatus fuerit necne non liquet; rarius mentio eorum fit, puta Hercul. 613, Hipp. 25, fortasse Ion. 1075; in fabula vero Supplicum, quae Eleusine agi fingitur, frustra quaerit lector praeclarum Cereris sacrorum praeconium Sophocleiis illis simile (Antig. 1115 sqq., O. C. 680); in transitu tantum commemorantur (vs. 1, 34, 172, 190). Aeschyli profecto illa pietas Cererem invocantis verbis ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα et supplicantis ut sacris eius dignum se praeberet, a tragico nostro procul aberat.

Girardus in pulchro libro „Le sentiment religieux en Grèce" fuse tractavit Orphismum Euripidis, quem etiam nostra in tragoedia observavit („l'esprit des mystères de Bacchus poussé à son dernier développement par les Orphiques" p. 403); quam hypothesin eleganter defensam, succincte impugnavit v. d. Kuiper (l. l. p. 111 et 423), asseverans Orphismum Herodoti tempore a vita cotidiana fere afuisse (p. 115), multoque minus in cultu quinti saeculi valuisse quam scriptores vulgo contendant. Sed argumenta Kuiperi, docti sane et sagacis viri, veritatis fines excedere vel potius praeiudicio aliquo laborare mihi videntur; quare in quaestione, quae ad Euripidem pernoscendum Bacchasque intelligendas permagni est momenti, parumper morabor.

De Orphei persona — ut eius placita mittam — altum silentium premunt Homerus et Hesiodus; nomen primum offenditur apud Ibycum fr. 10[a] Bergk, dein apud Pinda-

rum Pyth. IV. 176 et fr. 139; vox eius magica laudatur a Simonide fr. 40, ab Aeschylo Ag. 1629, ab Euripide Alc. 357, Iphig. Aulid. 1211, Med. 543, Bacch. 562; Sophoclis vero tragoediis nec vola nec vestigium Orphei inest. [1])

Apparet autem „vatis" huius nomen Euripidis aetate satis fuisse cognitum. „At Orpheus, vates mythologicus qui ad Stygem descendere ausus est, qui Proserpinae misericordiam carmine movit, non fuit Theogoniae scriptor, non fuit, qui Zagrei fabulam composuit. Nulla extant testimonia quorum auctoritate freti hunc Orpheum eiusque theologiam quinto seculo innotuisse putemus." Audio, sed miror Kuiperi severitatem, qui testimonia *aperta* (vid. p. 424), credo marmori insculpta, tali in re poscat. Est autem boni iudicis cum certa argumenta desint ex parvis indiciis coniecturam facere. Magna pars doctrinae Orphicae, ut Prellerus (I p. 582) recte iudicavit, utpote quae arcana initiatis tradebatur, nos latet; contenti ergo simus exiguis indiciis, hoc unum certum habentes etiam sub Graeciae coelo multa fuisse de quibus sapientia nostra ne somniet quidem. Quid e. g. nobis tradiderunt antiqui de Pherecydis Syri placitis arcte cum Orphicis coniunctis? Semel tantum refert de iis Aristoteles (Met. XIV 1091[b]), Plato vero ne nomen quidem memoravit.

Inspiciamus nunc auctores.

Aristophanes (Av. 695 sqq.) composuit notissimam Ornithogoniam, in qua et alia legimus et haec (vs. 695):

τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός
στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν.

---

[1]) F. Blasz neue Jahrb. f. Philol. u. Paed. S. 477 coll. Plat. Prot. 320 C suspicatur Sophoclem in noto Antigonae carmine πολλὰ τὰ δεινὰ κ. τ. λ. antiquum carmen Orphicum fuisse imitatum.

Quibus perlectis quis non statim memor fit Cosmogoniae Orphicae, ubi chaos conglobatur in ὠιὸν ἀργύφεον, unde natus Phanes vel Eros χρυσείαις πτερύγεσσι φορεύμενος ἔνθα καὶ ἔνθα (cf. Lob. Agl. I 470 ff).

Quis non sentit placita Orphicorum hic κωμῳδεῖσθαι?

At magna Orphicorum carmina, puta Argonautica, Hymnos, Lithica, viri docti tertio p. C. n. saeculo attribuerunt! Scio talia arbitratos Hermannum (Diss. de aet. script. Argon. 675 sqq.) et Tyrwhittium (praef. ad Lithic.), sed fuerunt atque sunt qui omnia haec opera a priscis Graecorum poetis composita putant, quorum in numero gaudeo nominare Ruhnkenium, qui Epist. Crit. II 69 sic est locutus: „Qui Argonautica Orpheo subiecit sive Onomacritus fuerit sive alius scriptor, certe meo iudicio est vetustissimus. Dictio fere est Homerica." Cf.:

O. Gruppe Die Griech. Culte u. Mythen. 625 sqq.

Susemihl Philol. Jahrb. CIX 1874 p. 675.

Diels Archiv. f. Gesch. der Philosophie II 91.

Theodor Gomperz Griechische Denker p. 80 sqq. [1])

Denique Lobecki vestigia secutus O. Kern (De Orphei, Epimenidis, Pherecydis theogoniis quaestiones criticae Berol. 1888) vetustam Theogoniae aetatem firmis argumentis vindicavit.

Etiam Ran. 1032 Orphicarum τελετῶν mentio fit; sed quid documenta quaerimus in opere sub fin. V[i] saeculi scripto, nonne ipse Aeschylus in scena dicere ausus est:

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ᾽ οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ᾽ ὑπέρτερον (fr. 65[a] Dind.),

luculentum praebens pantheismi exemplum, qui in Orphicorum doctrina primarium locum obtinet? Nonne idem dixit Prom. 226:

---

[1]) Utique inspiciendas puto pag. 110 sqq.

καὶ Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.

ubi Schol. τὸ γὰρ θεῖον φύσει μὲν ἕν ἐστιν ὀνομασίᾳ δὲ πολυμερές.

Nonne apud Pindarum exstat notissimus locus de migratione animarum (Olymp. II 68), quocum optime potest conferri dictum Platonis in Phaedone 70 C: παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι (animae) ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων (cf. etiam Phaedr. 249), quae verba Olympiodorus in scholiis Orpheo ascribit. Quin imo totus fere hymnus in Theronem pluribus locis conspirat cum Orphicorum placitis, de qua re vide Dissenum in editione Pindari. Nec miramur, nam Pindaro suppar fuit Onomacritus, cuius nomen aeque cum Orphei carminibus ac cum Homeri et Musaei coniungitur (vid. e. g. Paus. VIII 37 § 5, de quo Ruhnk. in praef. Hymn. Cer.: „criticum egregium se ostendit Pausanias in iudicio de Orphei et Musaei carminibus.")

Plura omitto; Orphicorum placita Euripidis aetate evulgata fuisse, sectatores sibi invenisse, certissimum duco; qua re constituta intelligo quod Plato Rep. II 364 E narrat de Orpheotelestis, qui lucri causa per urbes circumeunt, sacra expiatoria peragentes, mortuorum quoque crimina θυσίαις tolli posse professi: scilicet ut in aliis religionibus, sic hic quoque usum secutus est abusus, sacra olim venerabilia dolis et fallaciis hominum in contemptum venerunt, denique sapientium risu obruta interierunt — Non sunt philosophi qui res sacras perimunt, sunt religionis ipsius sectarii.

Quorsum haec omnia? Puto in nulla disputatione de Euripidis arte impune posse neglegi pulcherrimum librum Girardi, ubi docte et eleganter de Euripidis Orphismo agitur; nostrae autem fabulae magnam partem huic doctrimae deberi scriptor contendit (vid. l.l. p. 403).

Qua de sententia actum esse si Orphicorum placita

Euripidis aetate nondum innotuerant, evincit ratio. Qui vero mecum hoc negat, ab eo exspectatur ut Girardi iudicium aut probet aut improbet.

Quid igitur? videsne Orphicorum vestigia in Euripidis tragoediis? in Bacchis praesertim ea perspicis?

Permulti sunt loci ubi tragicus theocrasia utitur, quo nihil frequentius apud Orphicos invenitur. Passim coelum et terram omnium rerum divinos genitores nuncupat, e. g. fr. 836:

> Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς Αἰθήρ,
> ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ
> ἡ δ᾽ ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
> παραδεξαμένη τίκτει θνητοὺς κ. τ. λ.

Cf. fr. 488, Suppl. 1140, fr. 961, necnon fr. 935, ubi aether Ζεὺς vocatur.

Nemo autem nescit in Orphicis ad taedium usque recurrere: Γᾶς υἱός ἠμὶ καὶ ὠρανῶ ἀστερόεντος i. e. Titanorum sum filius, Terrae Coelique e liberis sum natus, animusque meus variis expiationibus purgatus, liberatus parte terrestri post seriem vitarum mortiumque revertetur ad originem divinam, fiet particeps perfectae beatitudinis, in quam cadet quasi ἔριφος ἐς γάλα.

Quid inde efficiemus? Nihil nisi hoc, Euripidi fuisse quaedam cum Orphicis communia; nam licet tragicus ut Orphici vitam terrestrem bonaque fluxa parvi pretii iudicet, fides Iustitiae divinae scelus omne puniturae, omne meritum praemiis affecturae, nusquam in eius fabulis elucet. Erat autem et haec doctrina Orphica.

Denique ubi Orpheum nominat, laudibusne eum cumulat? Recensebo locos Rhes. 943, 966, Alc. 966, Hipp. 952 nullum amoris indicium reperio; contra Alc. 966, ubi poeta ipse verba facere videtur, profitetur:

ἐγὼ καὶ διὰ μούσας
καὶ μετάρσιος ᾖξα, καὶ
πλείστων ἁψάμενος λόγων
κρεῖσσον οὐδὲν Ἀνάγκας
ηὗρον, οὐδέ τι ,φάρμακον
Θρῄσσαις ἐν σανίσιν, τὰς [1])
Ὀρφεία κατέγραψεν γῆρυς.

Credo igitur Euripidem Orphicis sacris nihilo magis quam Eleusiniis initiatum fuisse; constitit sibi poeta, qui nulli unquam philosophorum scholae se addixit, sed apiculae instar ex alio flore in alium volabat. Utinam ne τὸ πικρὸν saepius quam τὸ ἡδύ inde collegisset.

Satis puto hisce verbis responsum esse Girardi opinioni; plus voluit amabilis scriptor quam probavit, amoena autem via semet ipsum in errorem deduxit. Neque in Bacchis satis firma documenta reperiet lector Orphismi Euripidis; carmen vero:

εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσσας
ἔφυγε χεῖμα, λιμένα δ'ἔκιχεν κ.τ.ἑ.

---

[1]) Et hic et in Hipp. 952 (*Ὀρφέα τ'ἄνακτ' ἔχων βάκχευε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς*) mentio fit Orphicarum tabellarum; inventae autem sunt nostris diebus in sepulcris italicis et in insula Creta inscriptiones tabellis in aureis insculptae, quae continent versus Orphicos antea e solo Proclo notos. Ponebantur a cognatis in initiatorum sepulcris. Fere in omnibus adhortationes legimus ad moribundum mox terram relicturum, vel dialogum inter mortuum, terrae coelique filium, et fontem sacrum Mnemosynen.

Comparetti, qui earum sententiam primus perspexit, transscriptas putat e libris Orphicorum, quales fuerunt Prodici Samii (Lob. I 353) *κατάβασις*, alii; nec dubitat quin fuerint sculptae saec°. 4° *ante* C. n.; Phanis quoque nomen hucusque a Diodoro modo laudatum (I 11 § 3) in una tabellarum invocatur. Vid. Notizie degli Scavi di Antichità 1879. 80. Cf.:

Journal of Hellenic Studies 1882 p. 11.
Lenormant la Grande Grèce I p. 321, 385.
Bullet. de Corr. Hellén. 1893 p. 122.
Theod. Gomperz Gr. Denker p. 66.

aptum est in ore eius, qui ad metam vitae progressus tot tantasque respiciens miserias mox quietis horam sibi affore cum gaudio reputat. Quis enim nisi mortuus unquam

ἐγένετο ὕπερθε μόχθων;

IX.

Videamus nunc, qui scriptores ante Euripidem eadem in materie sint versati, quid noster ab iis sit mutuatus, quave in re ab iis distet.

Auctoribus Polluce VII 12. Suidaque (i. v. Thespis) dithyrambum Pentheum Thespis scripsisse dicitur, cuius unus certe versus aetatem tulit:

ἔργῳ νόμιζε νεβρίδ' ἔχειν ἐπενδύτην.

Cum tamen apud Diogenum Laertium V 6. legantur verba: Φησὶ δ' Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ τραγῳδίας αὐτὸν (Heraclidem Ponticum discipulum Platonis) ποιεῖν καὶ Θέσπιδος ἐπιγράφειν, fortasse ne haec quidem tragoedia Thespidi attribuenda est.

De Xenoclis fabula Bacchis nec vola nec vestigium superest, Aeschyleae unus modo versus exstat apud Galenum:

μηδ' αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδῳ βάλῃς,

quibus verbis Dionysus Pentheum ne cum Bacchis digladietur adhortari videtur. Cf. Eur. Bacch. 837:

ἀλλ' αἷμα θήσεις συμβαλὼν Βάκχαις μάχην;

Additur: ἐν Πενθεῖ. Suspicatus autem est Valckenaerius Diatribe 16 binominem fuisse tragoediam (Πενθεὺς ἢ Βάκχαι) atque in veteri catalogo τῶν Αἰσχύλου δραμάτων κατὰ στοιχεῖον duo haec nomina male esse distracta. Nam et ex Euripidis Pentheo quae pauca citantur, leguntur in Bacchis eiusdem scriptoris: inscribitur enim nostra tragoedia

Πενθεύς in eodem eximio Codice Florentino in quo Hippolyti fabulae praefigitur Φαίδρα [1]).

Elmsleius vero Aeschyli Baccharum fabulam eandem ac Bassaridum fuisse opinabatur.

Restat alia quaestio non minus nodosa, cuiusnam trilogiae Pentheus ille Aeschyleus pars fuerit. Welckerus (Aesch. Tril. 327 ff. Nachtrag S. 122) putat fuisse Σεμέλη ἢ ὑδροφόροι, Πενθεὺς ἢ Βάκχαι, Ξάντριαι, hisce tribus argumentis fretus:

Secundum Schol. ad Apoll. Rhod. I 635 in fabula Semele exponebatur mythus de Baccho in Iovis femore celato deque Semele splendore mariti aspecto interempta. Pro certo egregium initium trilogiae qua novus deus honoraretur.

Deinde Schol. ad Eum. 26 verbis poetis adiungit: νῦν φησιν ἐν Παρνασσῷ εἶναι τὰ κατὰ Πενθέα ἐν δὲ ταῖς Ξαντρίαις ἐν Κιθαιρῶνι: ubi Xantriarum igitur et Penthei nomina coniunguntur.

Denique Philostratus Imag. I 18. Penthei mortem depingens sic loquitur: αἱ δὲ ξαίνουσι τὸ θήραμα μήτηρ ἐκείνη (leg. ἐκείνου) καὶ ἀδελφαὶ μητρός. Alluditur et hic ad vocabulum „Xantriae".

Varii v. d., inter quos Wecklenius (vid. Bacch. p. 7), hanc opinionem impugnarunt sic ratiocinati, non Aeschyli sed Euripidis tragoediam referre descriptionem Philostrati; vocem ξαντρίας significare mulieres lanificas; schol. ad Eum. 22 spectare breve episodium de Penthei morte in Xantriarum fabulam insertum ut Dionysi omnipotentia ostenderetur. Qua re transeunt in castra Boeckhii (Graec. trag. princ. c. III), qui coniecit Xantrias fuisse Minyae filias, quarum miseram sortem narraverunt Ovid. Met. IV 32 sqq., Ael. V. H. III 42, Plut. Qu. Gr. 38, Ant. Lib. 10; nec spernendum argumentum iis videtur hoc,

[1]) Simile quid obvium fit apud Suidam i. v. Ἰοφῶν, ubi Valckenaerius scribendum ducit Βάκχαι ἢ Πενθεύς.

quod Boeckhii opinione accepta facilius intellegitur cur Iuno Furiaeque partes quasdam in Xantriis egerint (vid. fr. 165 et 170 Dind.).

Observare velim Philostrati imaginem non ita accurate cum Euripidis textu congruere ut pro argumento maioris momenti afferri possit; legimus enim in Bacchis (vs. 1125 sq.):

> λαβοῦσα (sc. Agave) δ᾽ὠλέναις ἀριστερὰν χέρα
> ἀπεσπάραξεν ὦμον.

Quid autem apud Philostratum? αἱ δὲ καὶ ξαίνουσι τὸ θήραμα μήτηρ ἐκείνου καὶ ἀδελφαὶ μητρός· αἱ μὲν ἀπορρηγνῦσαι τὰς χεῖρας, ἡ δὲ (sc. Agave) ἐπισπῶσα τὸν υἱὸν τῆς χαίτης. Satis magna est ut vides discrepantia.

Deinde nescio quem locum Iunoni in Minyae filiarum historia assignem: deditae sunt puellae *Minervae* non Iovis uxori, ita ut ineptum mihi videatur, quod fecit Wecklenius (ed. Berol. 1893 Fragm. p. 556), e verbis Aeliani „ἐπόθουν τοὺς γαμέτας" aliquid de Iunonis in hac fabula auctoritate efficere.

At, dixeris, apparet e fr. 170 hanc deam in „Xantriis" partes habuisse.

Non credo. Ad verba nimirum Aeschyli Aristophanei Euripidem imitantis Νύμφαι ὀρεσσίγονοι (Ran. 1344) Schol. annotat: ἐκ τῶν Ξαντριῶν Αἰσχύλου φησὶν Ἀσκληπιάδης. Sunt procul dubio verba Iunonis testibus Plat. Rep. II. 381 D et Diog. Ep. V, nemo autem explicavit qui Aristophanes Aeschylum sua ipsius verba deridentem potuerit introducere, qua re facio cum v°. cl°. Van Leeuwen in ed. sua annotante: „aut finguntur nunc omnia aut ex Euripide sunt ducta." Quod si verum, evanescit Iuno e nostra tragoedia secum auferens filias Inachi, quas monachi fortasse error Baccharum turbae immiscuit.

Denique et vis vocabuli ξάντριαι impedit quominus opinionem Boeckhii meam faciam. Ξαίνειν proprie dicuntur

carminatrices i. e. mulieres quae lanam *carpunt* vel *carminant* (*εἴρια ξαίνειν* χ 423, Schol. pseudo-Theocr. II 54 *τίλλοισα=ξαίνουσα*). Scio quidem Hesychium Suidamque verbum *ξαίνειν* explicare *νήθειν*, sed nullum praebent exemplum, ipse autem Plato nos de discrepantia admonet verbis (Pol. 281 A): *ἢ τὴν ξαντικὴν τολμήσομεν ὑφαντικὴν καὶ τὸν ξάντην ὡς ὄντα ὑφάντην καλεῖν.*

Nego igitur vocabulo *ξάντριαι* designari posse mulieres illas, quas Ovidius nentes et texentes describat quaeque ab Aeliano vocentur: *αἱ περὶ τοὺς ἱστοὺς ἔχουσαι* (l.l.).

Nec reticere possum ultimam, quae me habet, molestiam. Titulis enim quales sunt Xantriae, Phoenissae, Thressae indicantur fabularum chori; Xantriae igitur feminae erant e quibus chorus nostrae tragoediae constabat. Fac argumentum eius fabulae fuisse mutationem Minyae filiarum in vespertiliones, tunc sequitur ipsum chorum esse mutatum; sed quid si semel transfiguratus fuerit? quemnam exitum habuit tragoedia illa, cuius chorus scenam reliquerat ut poenam constitutam subiret? An forte mutatae feminae in scenam reverterunt ut stridentes exodum ederent? Dixerit aliquis Dionysum oraculo quodam iis ut mutarentur in fine tragoediae praedixisse? Sed quid tunc in scena est actum? Nam ne mors quidem Leucippae filii, de qua Aelianus et Plutarchus narrant, coram spectatoribus fieri potuit. An contenti fuerunt spectantes dialogo inter Dionysum et feminas habito, sine taedio tulerunt repetitionem diverbii, quod in antecedenti fabula (*Πενθεὺς ἢ Βάκχαι*) audierant? Non credo.

Unum tantum, si quid video, restat: chori vice functas esse Minyeidum *famulas*: quod si accipiamus melius quidem decurrit fabula, sed molestiae supra allatae non tolluntur.

Exposui quae me a Boeckhii partibus seiungant: nolim tamen Welckeri signa sequi. Omnibus enim perpensis

veri dissimillimum mihi videtur mulieres illas, quae Pentheum manibus dilaniarint flagrisque ceciderint, in tragoediae titulo fuisse vocatas „carminatrices." Obvium quidem fit verbum ξαίνειν sensu verberandi et dilaniandi, puta:

Aesch. fr. 305: νέας δ'ὀπώρας ἡνίκ' ἂν ξανθῇ στάχυς.

Suidas ξαίνειν: τὸ τύπτειν: Ἐκέλευσε δὲ τὸ σῶμα ξαίνειν μάστιξι πάνυ πολλαῖς.

Plut. Popl. 6: οἱ δ'εὐθὺς συλλαβόντες τοὺς νεανίσκους περιερρήγνυον τὰ ἱμάτια καὶ ῥάβδοις ἔξαινον τὰ σώματα.

Cf. etiam Clem. Alex. Paed. I 6. p. 122, Antip. Sid. VII 464.

Sed apud eos scriptores ipse nexus ostendit, quomodo verbum illud sit accipiendum.

Qua de causa ingenue fateor neutram fabulae explicationem satis mihi placere; quod ipse autem proponam in re tam dubia me non habere. [1])

Quod ad Furiae personam, quae firmissimo fragmento (165 Dind.) propugnaculo usa loco se cessuram negat, aeque locum obtinere potuit in Minyeidum mytho, ubi e. g. sorores ad tenerum puerulum dilaniandum (vid. Ael.) incitare poterat, ac in Penthei fabula; est enim Aeschyli, affectus quibus mentes humanae perturbantur in ipsa scena ostendere. [2])

In Penthei vero historiam quin Furiam introduxerit

---

[1]) Fritzsche, ut olim Boeckh, hanc fabulam satyricam fuisse et ex fr. 169 (Dind.) et ex fr. 170 efficit. Frustra autem rogo quibus indiciis ad hanc sententiam pervenerint.

[2]) Secundum Nonnum Dionysiac. L. XX 149 sqq. in narratione Lycurgi, uxor Iovis odio in Bacchum inflammata Iridem ad Lycurgum Arabiae regem mittit, quae ei βουπλῆγα θεημάχον tradat, et in novum deum cum incitet. Simul Iris Baccho persuadet ut inermis regionem hostilem ingrediatur. In pugna sequenti Mars et Iuno a Lycurgi partibus stant, qui rex a nympha Ambrosia ingenti lapide petitur. Imago descripta Bullettino 1870 p. 104 vulgo Penthei fabulae addicta, Nonnianam scenam mihi referre videtur. (nel mezzo un uomo caduto sul ginocchio. Alzando lo sguardo pone la sinistra in sull' occipite. A destra vi è una donna vestita che al di sopra del capo alzo con ambedue le mani un gran sasso).

Aeschylus — si non in tertiam, attamen in secundam partem trilogiae — nullus dubito; nam et posterorum scriptorum opera et tabulae pictae marmoraque servata illuc me ducunt. Quod paucis verbis exponere operae pretium duco. Euripides, ut vulgo notum, describit Pentheum ex arbore Bacchas speculantem; arbor autem radicitus evellitur, cadit miser rex et statim arreptus dilaceratur. Fideliter hoc exprimunt sarcophagus in campo sacro Pisae repertus (vid. Iahn Pentheus u. die Maenaden p. 17 Tab. III b) et vasculum descriptum Archaeol. Zeit. 1859 p. 109 et amphora notata in Bullettino dell' Instit. Arch. 1869 p. 191.

Exstat autem series imaginum ubi fabula non levioribus cum discrepantiis repraesentatur, quae tribui possint sculptoribus a verbis poetae aberrantibus dum imaginem generalem inter legendum vel audiendum sibi natam reddunt, sed ipsum argumentum fabulae prorsus aliud videtur. Videmus enim in iis veram *venationem*. Furia venatrix alte cincta, endromidibus instructa (con calzari e con corto abito da cacciatrice Bull. 1858 Michaelis) mulieres armatas, Bacchas, in Pentheum gladio vel hasta et scuto munitum incitat. Rex partes sustinet *bestiae* e latebris fugatae, quae parata est ad vitam defendendam contra hostes insanas, quarum una et altera in pantheram mutata est. Vid. e. g. Bullett. 1869. Adunanze p. 16.

Interdum Pentheus iam correptus repraesentatur, e. g. in fragmento Aricino (Bullett. 1858), in sarcophago Iustiniano (Iahn. l.l. p. 17. Tab III a, Bullett. 1858, p. 170. Sandys Introd. CXXIX), in sarcophago Cavaceppi (Sandys Introd. CXIV). Mitto ceteras imagines, quarum plurimae nobis ostendunt Pentheum a Bacchis se defendentem vel impetum in eas facientem.

Unde haec venatio, unde Furia illa? Ecce in memoriam mihi redit versus Aesch. Eum. 22: λάγω δίκην Πενθεῖ

καταρράψας μόρον, ubi alluditur ad animal venatorem effugiens sed mox captum et occisum. Credo igitur magnam partem sculptorum secutam esse tragoediam Aeschyleam, in hac autem Pentheum non ex arbore cecidisse, sed fugatum et frustra se defendere conatum fuisse interemptum. In Lycurgia quoque Aeschylea — de qua infra — Lyssa fortasse partes egit aliquas, mentionem enim faciunt Brunn (Annali 1850 p. 330) et Michaelis (Annali 1872. p. 256) duorum vasculorum, ubi Furia regis capiti imminens conspicitur.

Quidnam vero faciebat Furia in fabula Πενθεὺς ἢ Βάκχαι? Haud dubie instigavit Agaven eiusque sorores ad caedem iuvenis; nam veri minus simile duco, eam persuasisse Pentheo ut muliebri vestitu indutus Bacchas specularetur. Utut id est, agnoscimus Aeschylum illum qui et Erinyas, Baccharum cognatas (vid. Dilthey Mus. Rhen. 1870 p. 322, Ribbeck Anfänge u. Entwicklung des Dionysuscultus in Attika 1869), velut venatrices depinxit scelestis hominibus semper et ubique instantes.

Euripides, qui quamcunque ob causam a proposito Aeschyli declinavit — quam vero fabulam non mutavit et amplificavit? —, plane magni antecessoris auctoritati se subtrahere nequivit. E. g. vs. 816 Pentheus describitur quasi bestia σιγῇ γ' ὑπ' ἐλάταις καθήμενος (cf. 982, 1061 ὄχθον); item Aeschyleae tragoediae reminiscimur vs. 977, ubi Chorus Maenadas alloquitur:

ἴτε θοαὶ λύσσης κύνες, ἴτ' εἰς ὄρος.

Nec praetermittendi mihi videntur scriptores, qui post Euripidem Bacchi ultionem tractarunt. Nam miror viros doctos, qui opera pseudo-Theocriti (Idyll. XXVI), Ovidii, Oppiani, Nonni, Bacchis Euripideis tam similia iudicarunt quam ovum est ovo. Non quo negem Euripidem multum apud eos valuisse, sed non pauca insunt, quae ab Aeschylo potissimum mutuati videntur.

Minime igitur assentior Fritzschio ad carmen pseudo-Theocriteum annotanti: „Es hat soviel Aehnlichkeit mit Euripides Bakchen, dass man annehmen musz der Verfasser habe den Eur. vor Augen gehabt!" Itane vero! Quosnam igitur Euripidis versus sequebatur hic poeta cum scripsit (vs. 16):

Πενθεὺς μὲν φεῦγεν πεφοβημένος, αἱ δ' ἐδίωκον
πέπλως ἐκ ζωστῆρος ἐπ' ἰγνύαν ἐρύσασαι,

ubi venatus imaginem ei ob oculos versatam esse videmus? Quid est apud Euripidem unde ducere potuerit hunc versum (5):

Πενθεὺς δ' ἀλιβάτου π έ τ ρ α ς ἄπο πάντ' ἐθεώρει

et hunc (12):

Αὐτονόα πράτα νιν ἀνέκραγε δεινὸν ἰδοῖσα·

Nam apud Euripidem non Autonoë sed Agave Pentheum prima conspexisse dicitur.

Apud Ovidium Met. III 511 sqq. Pentheus Bacchas observat in „purò ab arboribus campo", Bacchae in Pentheum quasi in „feriendum aprum" cunctae ruunt trepidumque sequuntur (vs. 716), Autonoë prima Pentheum aggreditur.

Oppianus Cynegetic. IV. 233 sqq. claris verbis ostendit se Euripidem non esse secutum. Nutrices Bacchi finguntur Ino, Autonoë, Agave; fabella de Διὸς μηρῷ sic explicatur, deum fuisse educatum

(ἐν) οὔρεϊ δ' ἦν τότε Μηρὸν ἐπικλήδην καλέεσκον (cf. Curt. VIII, 10).

Maenades suo rogatu mutantur in pantheras, quae Pentheum *taurum* factum dilaniant. Concludit Musarum ille alumnus pudentissimus (vid. Scalig. in Exerc. Exot. 218):

ἔστω Κιθαιρῶνος δὲ κατὰ πτυχὰς ἔργα γυναικῶν
ἢ μυσαρὰς κείνας τὰς ἀλλοτρίας Διονύσου
μητέρας, οὐχ ὁσίας Πενθῆος ὀρέουσιν ἀοιδοί. —

Iam satis est. Statuo igitur eos, qui post Euripidem idem argumentum tractarunt, non solum hunc scriptorem sed pro magna parte alium poetam, quem Aeschylum fuisse credo, secutos esse. [1])

Aeschylus autem unde trilogiae suae argumentum duxerat? Hoc certe non habuit a lauta illa et opipara coena Homeri desumptum. Minus autem dubia est origo alius fabulae Aeschyleae, quae de Euripidis Bacchis iudicium ferentibus non minoris esse debet momenti; dico Aeschyli Lycurgiam. De qua Longinus de Subl. XV scripsit: *καὶ παρὰ μὲν Αἰσχύλῳ παραδόξως τὰ τοῦ Λυκούργου βασίλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Διονύσου θεοφορεῖται·*

ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη,

ὁ δ᾽ Εὐριπίδης τὸ αὐτὸ τοῦθ᾽ ἑτέρως ἐφηδύνας ἐξεφώνησε·

πᾶν δὲ ξυνεβάκχευσ᾽ ὄρος.

E quibus verbis apparet arto vinculo haec duo opera fuisse coniuncta. Idem autem docent verba Mnesilochi ad Agathonem in Aristophanis Thesm. 135:

καὶ σ᾽ ὦ νεᾶνις, ἥτις εἶ κατ᾽ Αἰσχύλον
ἐκ τῆς Λυκουργείας ἐρέσθαι βούλομαι·
ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή κ. τ. λ..

nam Aeschyli haec verba in memoriam revocant colloquium Bacchi Pentheique in Bacchis Euripidis (vs. 460 sqq):

πρῶτον μὲν οὖν μοι λέξον ὅστις εἶ γένος κ. τ. λ.

---

[1]) Cleophontis et Lycophronis opera nomine tantum nobis sunt cognita, e Chaeremonis Pentheo unus servatus est versus:

Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.

Vid. Naevii fr. apud Ribbeckium Röm. Trag. 569.
Cf. etiam Horat. Epist. I 16, 73 sqq., Clem. Alex. Protr. § 119 sq. Hartung Eur. Rest. p. 557 ceteros auctores enumerat.

Hanc igitur fabulam ex Homero suo habuit Aeschylus, nam commemoratur notissimo Iliadis loco (Z. 130 sqq.), scholia autem docent etiam ab Eumelo poeta epico hunc mythum fuisse tractatum in carmine Europea; secutae sunt Polyphradmonis tetralogia Lycurgia anno 467, Aeschylea tempore ignoto. E posteris fabulam tradiderunt Hyginus Fab. 132 et 242, Diod. Sic. I 20 et III 65, Nonnus Dionys. XX 149 sqq, Apollod. III 5, 1 (ubi vid. Heyne).

Perpauca Aeschylei operis fragmenta supersunt. Emendare et ordinare conatus est G. Hermannus Opusc. V, utilissima commentatione, quam nemo impune potest negligere qui de hac tetralogia velit disputare. Welckeri quoque argumenta in libro „de Aeschyli trilogia" licet magna pro parte scholio ad Thesm. 135 postea invento sint refutata, nonnihil bonae frugis attulerunt.

Observat Hermannus Opusc. V p. 5: „Fatendum est, quae Apollodorus refert ita esse comparata, ut, quoniam tribus quasi actibus constant, satis aptam videantur condendae trilogiae materiam praebere." Qua in re procul dubio rectum vidit.

Restat rogare quasnam tres partes, quibusque nominibus praeditas, in Lycurgea distinxerit. Paratum est responsum:

„Edonos, Bassaridas, Neaniscos." Ita, sed quibus in argumentis hae tres fabulae versatae sunt?

„Edoni" sic fere Hermannus, cuius vestigia libenter sequimur, „fuit illa trilogiae pars in qua asseclae Edonorum regis, Cotytto indigenam deam colentes, pugnam cum Baccharum exercitu committunt; descriptionem strepitus clamorisque Maenadum servavit Strabo X. 470."

Huc usque provectus meminit vir ingeniosus loci cuiusdam in Catasterismis Eratosthenis (c. 24), ubi haec exstant:

('Ορφεὺς), ὃς τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον

τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι· ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν, ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον. ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής, αἵτινες αὐτὸν διέσπασαν καὶ τὰ μέλη διέρριψαν χωρὶς ἕκαστον, αἱ δὲ Μοῦσαι συναγαγοῦσαι ἔθαψαν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις. (cf. Hyginum in Poet. Astron. II 7 p. 438 sq.). Pergit igitur Hermannus: „mihi quidem verisimilius videtur in *solo Orphei casu* secundam tragoediam (Bassaridas) constitisse.'' Addit: „chorus fabulae dubitari potest fueritne ut nomen suadet Bassaridum an quod ex Catasterismis colligere quis possit Musarum. Ad argumenti rationem accommodatior est concitatus ille et pene furibundus Bassaridum quam quas graves et moderatas esse decebat Musarum chorus, praesertim si ut alio loco conieci secundarum in trilogiis fabularum virtus praecipue in canticis conspiciebatur''. Quam coniecturam viri acuti et doctissimi satis mirari nequeo.

Nam quid sit trilogia Aeschylea [1]) docet eius Orestea, quo opere confirmatur stabiliturque id quod ipsa res ferebat. Scimus enim argumentum sic trifariam fuisse divisum ut in prima parte exponeretur *causa,* in secunda *actio principalis,* in tertia *exitus. Continuo* igitur tenore drama in prima parte inceptum properabat per secundam ad finem in tertia, poeta autem gravissima vituperatione dignus fuisset, si mythi filo intersecto secundam fabulam παρέργῳ implesset, tertiam nimia copia rerum male digestarum onerasset. Etenim si quis mediam partem in solo Orphei casu versatam putat, statuat necesse est in ultima furore correptum esse Lycurgum, Dryantem interemisse filium, ad mentem sanam rediisse, a Baccho

---

[1]) **Non loquor de posteris poetis, quibus tres fabulas varia argumenta tractantes coniungere mos fuit.**

damnatum in montes esse deductum, mortuum esse denique; quae omnia intra unius fabulae cogere fines non fuit e genio Aeschyli, si quid video. Et ipsa Eratosthenis verba magis etiam me permovent ut ab Hermanno dissentiam. Scribit enim: „ὥς φησιν Αἰσχύλος", unde efficio casum Orphei non in scena fuisse visum sed a choro Bassaridum cantico commemoratum, ut in Antigone Sophoclea chorus pulchre *cantat* de Lycurgi miserrima sorte; argumentum vero Bassaridum fabulae fuisse Bacchas hostibus liberatas laetisque canticis omnipotentiam Dionysi celebrantes, Lycurgi insaniam, nuntium Dryantis mortem communicantem.

Quod si sumimus, optime incipit trilogiae pars tertia a neniis Dryantis comitum (οἱ Νεανίσκοι), qui eius interitum lugentes oraculum Bacchi libenter exsequuntur: ducunt ergo regem resipiscentem in montes, ubi secundum Apollodorum aut equis discerptus est aut specu inclusus profanorum oculis est subtractus. Hoc autem veri duco similius collatis Sophoclis versibus Ant. 955 sqq:

ζεύχθη δ' ὀξύχολος παῖς ὁ Δρύαντος
Ἠδωνῶν βασιλεύς κερτομίοις ὀργαῖς
ἐκ Διονύσου πετρώδει κατάφαρκτος ἐν δεσμῷ.

Euripides (Rhes. 970), Strabo (X. 471), Nonnus (Dion. XXI. 155) tradunt Lycurgum [illegible] esse factum Bacchoque assimilatum, quod cum carceris subterranei montisve optime convenit: nam et Thrax ille Zamolxis, qui [illegible] ἐς τὸ κατάγαιον οἴκημα, postea [illegible] Thracibus apparuit. (Herod. IV. 95 cf. Herod. VII. 111. Strab. 297 sqq. Dio Cass. LIV. 34).

Restat Satyricum drama „Lycurgus", cui tota tetralogia nomen debet. Cuius argumentum cum e perpaucis fragmentis erui non liceat, denuo ad incitas hodierni editores redacti sunt.

Observavit Hermannus (l. l.) absonum sibi videri „virum insignem, cuius adversi casus modo miseratione atque horrore animos spectatorum implessent, inter Satyrorum iocu-lares lusus petulantemque lasciviam in scena esse conspectum. Tametsi enim recreandis atque exhilarandis post seria et tristia animis inservire concedimus fabulam satyricam, tamen id non sic erat efficiendum, ut recordatio illorum, quae paulo ante admirati essent spectatores, humili ista levitate Satyrorum tanquam labe adspersa contaminaretur ac penitus corrumperetur."

Rogas qui vir egregius e tali difficultate se expedirit? non facile coniicies. Ratiocinatur sic: Lycurgus in fine Neaniscorum in deum est mutatus, *deus* igitur Lycurgus non amplius *rex* in satyrae scenam procedit, quare sine spectatorum offensione, utpote plane alius Lycurgus, petulantia Satyrorum peti potest. — Vides ni fallor quo nimium mentis acumen interdum criticum abripiat. Itane vero? vestitu et nomine personae mutatis actum erat de profunda misericordia, de terrore immani quibus res visae atque auditae τὸ θέατρον afflixerant, tali remedio opus erat ut gravis animi effectus in levitatem ad cachinnos edendos paratam commutaretur? Equidem credere nequeo. Quid igitur? Si quid video Hermannus quaestionem solvere conatus est, quae nullam solutionem postulet, dum modo ne antiquis Atheniensibus nostros sensus sententiasque nostras obtrudamus. Sumus enim mutati ab illis, quod statim persentimus simulac antiquas fabulas nostra in scena aspicimus. An forte censes hodierno auctori „Prometheum *satyricum*" scribere in mentem venire posse, putasne hoc saeculum post opus quale est Oedipus Rex vel Orestia

spectatum ullo dramate satyrico frui posse? At potuerunt antiqui, potuerunt mediaevales homines, cuius rei cum rationem dare nequeamus, nostros sensus a veterum dissentire confiteamur, nec subtili disputatione hanc discrepantiam tollere conemur. Constat Athenienses post trilogiam Lycurgiam Lycurgum cum Satyris iocantem laeto animo tulisse: id nobis sufficiat.

X.

In fine huius commentationis, quae maiore pro parte in rebus exegeticis versata est, non possum quin illi quoque arti locum concedam sine qua omne veterum scriptorum studium vanus irritusque labor appareat; volo artem criticam in traditum textum adhibitam.

Dindorfius, Wecklenius alii una litura delerunt absurdas interpolationes vss. 242—247 et 286—297. Acta autem agere ne videar, non repetam varia argumenta quibus ad hanc ἀθέτησιν venerunt, addere modo velim, insanire videri Tiresiam mythum de Baccho Iovis femori incluso ita explicantem, dum τὰς πατρίους παραδοχὰς sic temere pia mente accipere et servare commendat. Debentur ni fallor hi versus eidem interpolatori, qui in fine tragoediae insulsum illud Bacchi oraculum in Cadmum addidit; nam tales ineptias Euripidi imputare nequeo noloque. Nil fecit Cadmus dixitve quo Bacchum laederet: cum Agave eiusque sorores divinitatem Dionysi negarent, senex novo deo addictus fortiter eius rem suscepit; Pentheum incredulum meliora docere conatus est; ut pietatem suam testaretur ne motus quidem indecoros a provectiore aetate alienos sprevit; obstupescimus igitur si nihilo secius poena afficitur.

At oblivisceris Graecum hunc deum, Iudaeorum Numini quam Christianorum similiorem, puniendo praesertim potentiam suam significare et de iustitia securum confundere pios impiosque dummodo miseris hominibus terrorem incutiat.

Esto; soletne autem talem poenam victimae irrogare, quae omnes probabilitatis fines egressa rem ad insaniam

deducat? Audiamus modo deum *πάνυ σεμνῶς* vaticinantem haec: „Mutaberis, o Cadme, in anguem, dein cum uxore in simile animal transfigurata conscendes plaustrum bubus iunctum, unde dux barbarorum factus multas urbes evertes.'' Non potuit quin *ὁ πτολίπορθος* Cadmus in risum effusus verba acceperit.

Sed nos, reverane credimus spectatores, quorum maior pars subtili elegantique sensu esset praedita, tales nugas aequa mente audivisse cum Aeschyli Orestia frui possent? Nam licet supra de discrepantia quae inter nos et veteres intercedit locutus sim, unusquisque intelligit, nunc non de sensu quodam vario et diverso agi, sed hanc potissimum moveri quaestionem: utrum antiqui fuerint compotes mentis necne.

Ferreus enim sit necesse est qui talia concoquat.

Scio plura oracula ridicula in tragoediis Euripideis inveniri, nescio autem annon ars critica in ineptiis huius farraginis iure conniveat. Equidem prorsus facio cum Raumerio (Vorlesungen über die alte Gesch. II 370 sqq. Vid. Bodium III 517.) hoc vaticinium Euripidi abiudicanti, quamquam non habeo cur Baccharum exitum *minori* Euripidi attribuam. [1]) Haud dubie, ut erat mos Euripidis, et hanc fabulam oraculo quodam finivit, sed finem illum pro maiore parte interiisse indicio mihi est lacuna, quae vaticinium antecedit; quapropter suspicor serum interpolatorem, quae deerant supplere conatum nec satis ingenio pollentem ut omnia ipse excogitaret, circumspexisse an ex alia Euripidis tragoedia sumere posset quae huic loco essent apta. Scripserat autem Euripides drama Cadmum, cuius fragmenta citata a Probo in Verg. Ecl.

---

[1]) Quod attinet ad argumenta Boeckhii (Gr. trag. princ. p. 297—327), qui totam fabulam ab hoc viro retractatam suspicabatur, aptius a Middendorfio (Obs. in Eur. Bacch. 37—42) redarguta mihi videntur quam quae denuo refutem.

VI 31 emendavit Valckenaerius (Diatr. 12), qui vir sagacissimus fragm. quoque 922 (Dind.)

οἴμοι δράκων μου γίγνεται τόγ' ἥμισυ·
τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί.

ad hanc fabulam referebat adiiciens: „illic nullam quidem Rhetor Hermogenes Cadmi facit mentionem sed p. 484 sui operis Κάδμος, inquit, δράκων ἐγένετο ἐξ ἀνθρώπου. Et res manifesta est, Euripidea quinimo spectabat Ovid. Met. IV 584:

Me tange manumque
accipe dum manus est, dum non totum occupat anguis" [1]).

Haec fabula cum ante Bacchas esset docta, nil novi de Cadmo Euripides spectatoribus narrare poterat, nec verisimile duco, eum materiam tota fabula expositam denuo in Baccharum fine recoxisse; sed falsarius inde desumpsit quae opus erant, multa de suo addidit nec vitavit communem imitatorum scopulum, qui exempli virtutes nimium sectando sublimia in ridicula vertant. Hinc ineptum oraculum, hinc poena Cadmi, de qua usque ad magnam lacunam nullus lector ne somniarat quidem. Nam licet senex (vs. 1313) magnopere vereatur, ne e patria excidat, verba eius luculenter docent, non a parte Bacchi eum sibi metuere, sed ab inimicis non amplius Penthei forti manu coercitis. —

Sed haec quidem hactenus, videant de hac re ut de ceteris alii melioresque. Ego autem peto a vobis, benevoli lectores, ut, si in his rebus tractandis nonnunquam in errorem incidi, benevolentia vestra voluntatem et industriam meam agnoscens lene de primitiis meis litterariis iudicium proferat.

[1]) Apollodorus epitomam servavit III 5, 4. Vestigia dramatis reperiuntur Etym. Magn. s. v. Βουθόη et apud Philostr. Imag. I 18.

THESES.

THESES.

I.

Vocabulum λόγος in exordio Heracliti libri περὶ φυσέως (fr. I Mullach) non recte explicasse mihi videtur v. d. Kuiper (Godsdienst en Wijsbegeerte in het drama van Euripides p. 356 sqq).

II.

Narratio de Perdiccae filioli morte apud Platonem (Gorg. 471 C) fide historica mihi videtur indigna.

III.

Ineptum oraculum in tragoediae Baccharum fine interpolatori debetur.

IV.

Iniuria K. O. Müller vs. 94—102 Persarum fabulae Aeschyleae transposuit post versum 116 (ed. Weckl.).

V.

Thuc. III. 56 sub fin.
pro: *καὶ τὸ παραυτίκα που ὑμῖν ὠφέλιμον καθιστῆται* legatur: *κἂν* (cum Dobreo) *τὸ παραυτίκα που μὴ ὠφέλιμον καθιστῆται.*

E vocula *μὴ* et vocali ultima antecedentis particulae *που* natum est supervacaneum illud *ὑμῖν*.

VI.

Thuc. II. 73, 2:
ὁ δὲ ἡμέρας τε ἐσπείσατο ἐν αἷς εἰκὸς ἦν κομισθῆναι κ. τ. λ.
ante verbum *κομισθῆναι* excidit vocabulum *πάλιν*.

VII.

Verba Thuc. I. 20, 2:
τὴν Παναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμοῦντι fuerunt glossema ad nomen *Ἱππίᾳ* paulo antecedens.

VIII.

Thuc. VII. 7, 3:
πρέσβεις.... ἀπεστάλησαν, ὅπως στρατιὰ ἔτι περαιωθῇ
legendum puto: *ὅπως στρατιὰ ⟨ἑτέρα⟩ ἔτι περαιωθῇ*, mendum ex haplographia natum.

IX.

Lucianus Adv. Indoct. c. 6:
ὡς καλλίστοις ὑποδήμασι κεκοσμημένα εἴη αὐτῷ τὰ ξύλα, οἱ πόδες δή.
deleantur verba *οἱ πόδες δή(λονότι)*.